DE

HOMERI LATINI CODICUM FATIS ATQUE STATU DISPUTATIO CRITICA.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE REGIA MONACENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

HENRICUS CAROLUS REMME.

MONACI

EX TYPOGRAPHIA WOLFIANA.

MDCCCCVI.

München 1906

DE

HOMERI LATINI CODICUM FATIS ATQUE STATU DISPUTATIO CRITICA.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE REGIA MONACENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

HENRICUS CAROLUS REMME.

MONACI
EX TYPOGRAPHIA WOLFIANA.
MDCCCCVI.

FRIDERICO · VOLLMERO

D · D

Recensio carminis illius, quod per medium quod dicunt aevum cum Dictyos atque Daretis libris memoriam belli Troiani propagabat, adhuc nimis recentibus atque lubricis testibus nitebatur. Nuper demum, cum codex vetustior (P) merito Vollmeri Antverpiae tineis et putori ereptus in lucem prodiit, qui comes accessit alteri libro pretiosissimo (W), paulo ante investigato in bibliotheca Valentiniana, solum atque fundamentum recensionis plane aliud structum est. Itaque cum in seminario philologico Monacensi de Homero Latino ageretur, equidem ab his novis testibus profectus in fata codicum altius inquirere suscepi id maxime agens, ut verborum constituendorum lege lata ad quaestiones gravissimas de auctore atque tempore carminis diiudicandas pro virili parte aliquid conferrem. Utebar autem conlationibus codicum P et W a Vollmero mihi suppeditatis.

Scripta virorum doctorum ad quae hic illic respexi:

Duemmler, Forsch. z. deutschen Gesch. XIII p. 415—417.
Ehwald, Philol. Anz. XVII (1887) p. 46—59.
L. Mueller, Phil. XV (1860) p. 475—507.
Rossbach, Hermes XVII (1882) p. 515—521.
Stiglmayr, Eine alte Handschrift d. sogen. Hom. Lat. Prag. Stud. a. d. Gebiete d. A. W. Heft III 1894.
Vollmer, de recensendo Homero Latino. Festschr. f. Joh. Vahlen Berlin 1900 p. 465—489.
Wotke, Wiener Studien XV (1893) p. 155—159.

Coniecturas protuli ex editionibus

Wernsdorfii, PLM IV p. 551 sqq.
Weytinghii, e rec. Th. v. Kooten, Lugd. Batav. 1809.
Muelleri, über d. Auszug aus d. Ilias d. sogen. Pindarus Thebanus Berlin 1857 p. 16—46.
Baehrensii, PLM III Lipsiae 1881 p. 1—64.

In versibus numerandis secutus sum Baehrensium.

De stemmate codicum.

Iis, qui fata librorum Iliadis Latinae cognoscere student, hoc prae ceteris est attendendum unum archetypon idque ut videtur Visigothicum tempora Carolingica superasse, ad quod omnes qui ad nos venerunt codices recurrunt. Cuius rei probandae non unum est argumentum. Nam is, apud quem primum Homeri Latini vestigium apparet, Lactantius scholiastes, ad Statii Thebaidem VI 121 haec affert: *Homerus in funere Hectoris dicit: 'Tunc* (*Nunc* M) *pyra construitur, quo bis sex corpora Graium quadrupedesque adduntur equi currusque tubaeque cumque cavis galeis clipeique* (sic Jahnke, *clipeis* codd.) *Argivaque tela.'* Qui sunt versus Iliadis Latinae 1048—1050. Carminis autem ipsius codices praeterquam quod *que* in v. 1049 omittunt, v. 1050 sic tradunt: *et clipei galeaeque cavae Argivaque tela.* Nemo non videt Lactantium solum rectum servasse, quippe qui nondum corruptelam foedissimam praebeat, sc. hiatum *cavae Argivaque,* quo inquinati sunt ipsius epitomes codices. Facile igitur est intellectu codices omnes ex uno archetypo iam corrupto originem duxisse.

Quod etiam recentius fuisse nono saeculo evincitur ex verbis Ermenrici monachi. Hic enim intra annos 850—855 epistulam conscripsit in honorem Grimaldi magistri atque mediis in quaestionibus grammaticis Homeri Latini sic[1]) facit mentionem: *Item aliud verbum in praeterito perfecto pluralis numeri natura longum sed poetice corripitur, ut apud Homerum in Iliade: 'protulerunt ex quo discordia pectora turmas.'* Hic est ille versus difficillimus ex initio poematis, qui acrosticho repugnat nulloque adhuc modo certo sanatus est. De quo luculenter egit Fr. Vollmer in Berl. philol. Woch. 1899 col. 69.

---

[1]) cf. Mon. Germ. epist. V p. 545, 24.

Utut est, post repositam secundum Ermenricum vocem *turbas*, quam pro codicum omnium *pugnas* restituit Vollmer, certissime licet concludere libros nostros manuscriptos, qui eodem modo ab eo, quod in exemplari suo legerat Ermenricus, recedunt, unius familiae esse.

Prope attingit tempus vetustissimorum Homeri Latini codicum carmen illud, quod gesta Berengarii imperatoris celebrat atque circa annos 915—924 ab ignoto poeta conscriptum est. Hoc permultos Iliadis locos ad verbum continere demonstravit Duemmler (l. l. p. 415 sqq.).[1]) Nonnullos autem ad sincerius exemplar redire quam fuit id, ex quo descripti sunt codices nostri, nemo negabit, qui utrumque carmen evolverit.

Gravissima sunt haec: v. 355 sq. codices Homeri tradunt: *Bellum ingens oritur multumque utrimque cruoris funditur et totis sternuntur corpora campis* (*utrimque* PW et ex corr. EL, *utrumque* MB, *virumque* FVN). Quibus versibus respondent gest. Ber. II 180 sq., nisi quod pro *utrimque* lectionem multo meliorem exhibent *hinc illincque*.[2]) Quamquam fieri potuisse concedo, ut hic auctor Gestorum consilio variaret verba Homeri.

Vss. 478 sq. sic in codicibus Iliadis sunt: *alius . . . traiectus corpora* (*pectora* B) *telo quadrupedis tergo pronus ruit*. Gesta Ber. I 199 sq. praestant: *alius . . . traiectus tempora telo cornipedis tergo pronus ruit*. Et ego quidem et *tempora*, quo efficitur allitteratio, et *cornipedis* lubenter amplector. Hoc fortasse ea de causa in *quadrupedis* abiit, quod in patre aut avo archetypi ex usu Visigothico scriptum erat *quornipedis*.[3])

Cui autem haec gravissima ac vetustissima argumenta non sufficiunt ad statuendum unum archetypon, huic persuadebit consensus librorum iis locis, de quibus corrigendis nemo dubitat. Atque gravius ab omnibus librariis peccata sunt haec: v. 6

---

[1]) Attulit locos et Winterfeld sub contextu PMA IV p. 357 sqq.
[2]) Adamat poeta similium notionum partitiones; cf. v. 529 sqq. *hinc pugnat . . . Hector, illinc Tydides, sternuntur utrimque . . . corpora*. *773 furit istinc hostis et illinc*. *802 hinc iaciunt . . . illinc . . . iactant*. Cognata vide in indice grammatico p. 62. [3]) cf. p. 16 sq.

conficiebat pro *confiebat,* 11 *infestam* pro *infestus,*[1]) 40 *posce* pro *posco* (corr. Fowler), 106 *omnipotente* pro *ignipotente,* 113 *tunc* (*tum*) pro *cum,*[2]) 195 *teucer* pro *Nireus,*[3]) 200 *euboea ac* (*et*) pro *Euboeae a,* 216 *quos* (*quod* M) pro *quot,* 240 *ephialtes* pro *Pylaeus,* 245 *athamas* pro *Acamas,* 262 *vis est* pro *virtus,*[4]) 274 *parvaque* pro *pravaque,*[5]) 286 *rapuit regem et* pro *raptum regemet,*[6]) 316 *custos* pro *cultos,*[7]) 342 *phryges* pro *Phrygas,* 352 *atque* pro *itque,*[8]) 376 *moribundus* pro *moribundo,*[9]) 377 *post haec egeum* PW, *inmanē egeum* MN, *inque mare egeum* ceteri pro *iamque Amaryncíden,* 378 *impiger* pro *Pirous,* 381 *annosaque* pro *animosaque,*[10]) 430 *meridione* (*meridone, merione*) *satum* pro *Maeoniden Phaestum,* 432 *merionis puerum* pro *Meri-*

---

[1]) v. 10 sq. *ille Pelasgum infestam regi pestem in praecordia misit O.* Coniectura *infestus* necessaria est propter Homeri: ὁ γὰρ βασιλῆι χολωθεὶς νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακήν (Il. A 9 sq.). Apparet νοῦσον Homericum vel λοιμόν (v. 61) poetam vertisse verbo *pestem;* cf. v. 45 *pestemque per omnes inmittit populos.* Qui *pestem* amorem Agamemnonis interpretantur, meminerint Phoebum demum Graecis infensum exstitisse, postquam amor Agamemnonem invaserit atque sacerdoti iniuriam intulerit. Certe tenendum est *praecordia,* neque ulla opus est emendatione, si *Pelasgum* ἀπὸ κοινοῦ et ad *regi* et ad *praecordia* dictum putatur. Fingit poeta secundum Homerum Phoebum sagittis illam pestem vel morbum excitasse, quibus vis quaedam veneni inhaeserit. Hoc autem praecordia maxime perdere veteres sentiebant. cf. Juven. sat. VI 621 *praecordia pressit* (sc. veneno). Cic. Tusc. I 96, quo loco Theramenem aequo animo venenum haurientem laudat: *cum iam praecordiis conceptam mortem contineret.* Luc. Phars. IX 815 sqq., ubi de morsu anguium agit: *fixus praecordia pressit Niliaca serpente cruor* — et paulo post (v. 922): *sic nox tuta viris, at si quis peste diurna fata trahit, tunc sunt magicae miracula gentis Psyllorumque ingens et rapti pugna veneni. nam primum tacta designat membra saliva, quae cohibet virus retinetque in vulnere pestem.* [2]) Corr. Higtius. Similiter peccatum est in vss. 50 et 253. [3]) Fortasse *acer,* quod versum sequentem claudit, turbas fecit. [4]) Sic Higtius cum viris doctis Italis. [5]) cf. Prop. I 16, 12 *luxuriae miserae dum tibi sint taedia.* [6]) Corr. Vollmer. [7]) *custos* PW¹FV, *comptos* MN, *tutos* E, *tectos* supra ras. B, ≡≡≡ *tos* (*cinc* supra ras. m. 2) L. Locus emendandus est secundum Ov. Met. II 737 *ebore et estudine cultos . . . thalamos.* [8]) Corr. Vollmer. [9]) Corr. Dussenus. [10]) Sequor coniecturam virorum doctorum Italorum, cum apud Homerum nihil de senectute Piroi praedicetur.

ones Phereclum, 445 *polidona* pro *Polyidon*, 447 *stemona* pro *Echemmona*, 471 *sidereo—marti* pro *sidereae—matri*,[1]) 489 *auctor* (Visig.) pro *actor*, 490 *premit* pro *fremit*,[2]) 511 *quantum* pro *quantas*,[3]) 512 *depulit* pro *detulit*,[4]) 517 *cret(h)eona* pro *Crethonaque*, 518 *t(h)ersilocumque* pro *Orsilochumque*, 534 *egit* pro *fregit*,[5]) 586 *divum—amores* pro *durum—amorem*,[6]) 604 *ensem* pro *hastam*, 608 *ensis* pro *cuspis*,[7]) 638 *helena* pro *Helene* (cf. 1017

---

[1]) Corr. secundum Homerum Higtius. [2]) Corr. idem. [3]) Corr. Hoefftius. Ne cum Higtio coniciamus *quantis*, obstat locus Ovidi Met. V 32 sq. *contortam viribus hastam, quantas ira dabat, nequiquam in Persea misit.* [4]) Iure lectionem traditam in suspicionem vocasse Schraderum et Higtium docet locus Ovidi Met. V 90 *intorquet iaculum, quod detulit error in Idan.* [5]) Dusseni coniecturam *fregit* commendat locus Ovidi huic affinis Met. V 171 sqq. *non circumspectis exactum viribus ensem fregit, et extrema percussae parte columnae lamina dissiluit.* Jam in sequentibus nemo offendet. Nam ut in v. 607 cogitandum est cuspidem clipeum perlapsam esse, ita quidem, ut Mars extrema parte ferri caesus exiguo vulnere afficeretur; qua re attonitus caelum petivit. [6]) cf. Verg. georg. IV 464 *ipse cava solans aegrum testudine amorem* (cf. et p. 17).

[7]) Quaestio gravissima exorta est inter viros doctos, utrum ensibus an hastis gestum sit certamen, quod inde a v. 602 describitur. Hi lectionem traditam vss. 604 (*derigit ensem*) et 608 (*ensis*) tenere studuerunt ut Rossbach (l. l. p. 518), Ehwald (l. l. p. 51), illi ut Mueller (l. l. p. 496) et Baehrens *hastam* et *cuspis* reposuerunt. Omnes vero neglexerunt quod codices in v. 602 tradunt, *animis teloque furens;* soli praebent MN *animo* et pro *teloque* E *armisque.* Sed nec codicibus MN nec E hoc loco quidquam tribuendum est, cum *animis* eodem modo etiam in vss. 201 et 466 poeta utatur, *armis* concinnitatis causa a cod. E suppositum esse eluceat. Neque offendere licet in coniunctione *teloque furens;* similiter enim v. 777 legitur *fervidus hasta.* Deinde mihi videtur poeta, postquam certamen gladiorum (v. 590—601) successum non habuit, illo *tandem petit* ad alteram pugnandi rationem transire. Petiverat sane Aiax hostem etiam antea, neque furor afuit, ut comparatio edocet; nunc vero furens utitur telo. Praeterea, si alter ictum derigit, alter praevidens astu utitur, ne feriatur, non agi potest nisi de hasta. Denique enses, quamvis vehementer vibrentur, in manibus pugnantium haerere solent atque repulsi suo ut ita dicam arbitrio ad oras clipei aberrare et oras perlapsi vulnera inferre nequeunt. Quibus de causis pugnam hastis geri censeo, id quod, ut iam monuit Mueller, Homero respondet. Vss. 615 sq. *iam rursus ad arma coibant, stringebant iterum gladios*, quo nituntur Rossbach et Ehwald, respiciunt ad pugnam vss. 590—601 descriptam. Aequo fere ordine fit pugna Hectoris et Achillis

hecuba, 624 *hesiona* codd.), 648 *tradiderant* pro *tradiderunt* (cf. 708), 688 *hoste repulso* pro *Nestore pulsi*,[1]) 708 *abdiderant* pro *abdiderunt*, 710 *troius eumenides* pro *Tros Eumedides*.[2]) 731 *viros* pro *virum*,[3]) 734 *thraces* pro *Thracas*, 748 *antiphonem* pro *Antiphon*, 754 *acrique incitus* (*acri quoque concitus* M, *acrique concitus* N, *acri incitus* B) pro *acri concitus*,[4]) 768 *portis instant* pro *postis intrant*,[5]) 788 *promacem sternit* PW (*prosternit* W), *machumque prosternit* MN, *promachumque sternit* ceteri pro *Promachum quem st.*, 858 *ignibus* pro *ictibus*,[6]) 860 *evolat et* pro *evolat atque*,[7]) 869 *in* pro *iam*,[8]) 891 *sanguineis* pro *anguineis*,[9]) 900 *armis* pro *arvis*,[10]) 915 *expediatur* (*imped.* FG) pro *exspatiatur*,[11]) 954 *ferox mutat* pro *feros mutant*,[12]) 967 *defectis* pro *defectus*, 983 *priamus* pro *primum*, 993 *avidique* pro *avidosque*.

---

vss. 951 sqq., quae primum hastis quasi praeludendo geritur, tunc ensibus, deinde (v. 957 sqq.) telis, denique iterum ensibus. Atque introducit poeta hoc gladiorum certamen alterum v. 964 sq. similibus verbis quibus hic: *concurrunt iterum collatis fortiter armis inque vicem duros evitant comminus enses* (cum voce *armis* pro *ensibus* cf. v. 590). Viri docti in interpretando loco eodem impliciti sunt errore quo interpolator ipse, qui ultra v. 601 duelli gladiatorii descriptionem progredi censebat. [1]) Sic coniecit Vollmer et ego, priusquam huius coniecturae notitiam habui. [2]) Facilius in codicum scripturam abire poterat hoc, quod reposuit Schrader, quam quod voluit Mueller, *Tros Eumediades*. [3]) *viros* ferri nequit, cum vix liceat cogitare Ulixem et Diomedem hostes, antequam necaverint, armis exuisse. Equidem *spoliant* ad Rhesum modo obtruncatum pertinere ratus *virum* reponam. Idem verbum loco pronominis usurpatur in vss. 293, 832, 958. [4]) cf. p. 16. [5]) Coniecit Vollmer. [6]) Corr. Kootenus. [7]) Corr. Vollmer. [8]) Corr. idem. [9]) Corr idem. Adnoto autem cod. N, qui initiales rubro pigmento addidit, *Sanguineis* praebere, ita tamen ut *S* paulo extra columnam, *a* in ordine initialium appareat, sed haec nec magnitudine nec colore inter ceteras versus litteras excellens. [10]) Corr. Barthius. [11]) Corr. editio Fanensis. cf. Hom. Φ 300 τὸ δὲ πᾶν (sc. πεδίον) πλῆθ' ὕδατος ἐκχυμένοιο. [12]) Lectio tradita sensum non praebet. Postquam enim praecesserunt *hic—ille*, nunc in alternis congressibus de amborum opera dici oportet ut in vss. 941 sq. (cf. 601, 597). Quam ob rem cum viris doctis Italis facio, qui *feros mutant* coniecerunt. Notio mutandi similiter exstat: Apul. Met. V 26 *mutuis amplexibus alternae salutationis*. Lact. Inst. II 9, 11 *alterna per vices successione*. Confer ad locum etiam Sil. XVI 402 sqq. *nunc appetit ille conatus, nunc ille premit . . . et alterni . . . fallere temptant*.

1039 *meo* pro *tuo*,[1]) 1043 *grandaevus* pro *grandaevum*, 1065 *quem cernis paucis stringentem litora remis* pro *remis quem cernis stringentem litora paucis*.[2])

Aliis locis quid pro lectionibus archetypi depravatis restituendum sit, non ita dilucidum est, ut traditur in codd. v. 82 *plus thetis* (*Plistheniden* Bergk), 325 *mente relicta*, 365 *cum sanguine mixtam*, 468 *arvis* PW¹V, *armis* F, *ante* (suprascr. *armis* M, *ante* EN, *ante* (*te* ex corr.) L, *hostem* B.[3]) 846 *firmas* (*fissas* Vollmer), 884 *mundi* (*mimi* Vollmer), 890 *diva poesis*, 897 *corpus* (*torvus* Vollmer), 1003 *et pariter captos deflent cum funere mestos* (*corpus—captum* MN), 1008 *tirsin* (*tirphsim*, *t(h)yrsin*; suspicàtur *Trosin* Vollmer).

Saepius singulorum codicum correctores vel interpolatores ex suo ingenio lectiones bonas hauserunt,[4]) quarum archetypon omnino expers erat. Sic praebent v. 149 *invalido*[5]) GN, *valido* ceteri, 178 *it ter* L, *est ter* cet. (*est cum* B), 262 *vario in certamine* E, *varia in certamina* cet., 278 *accitur* EL, *accitus* cet., 374 *transadigit* L, *transegit* M(N), *transadiit* cet. (item in v. 409),[6]) 417 *discerta* E (*discerpta* recte), *decerpta* cet. (*decepta* BFV, *de*≡*ta* [*p* in ras., *cerp* m. 2 supra ras.] L); archetypon habuit *decerpta* (cf. p. 31), 433 *vastis* E, *vastisque* cet., 519 *paflagonum* B, *paflagonem* cet., *concidit* MNB, *condidit* cet.,[7]) 541 *vivo ducant* E, *vi deducat* (*-ant*) cet. (*deinde ducant* M, *inde ducànt* B),[8]) 646

---

[1]) Versus sic in codicibus est: *et pater esse meo mitis de corpore disce*. Quod corruptum ratus pro *meo* conicio *tuo* (*tuo de corp*. i. tuo de filio; cf. 90, 987, 1038), ut hic evadat sensus: miserere parentis, quippe qui pater mitis esse debeas, si tui ipsius filii memineris. Hoc modo argumentatio Priami apte respicit ad verba Hectoris v. 986 sq. Accedit, quod perfacile *meum* ex *meo* versus praecedentis poterat oriri. [2]) Ordinem verborum traditum genuinum putare vetamur acrosticho SCRIPSIT. [3]) Archetypon habuisse videtur *armis* e versu superiore, unde orta sunt et *arvis* et *hostem*. [4]) De EL cf. p. 36 sqq. [5]) cf. v. 418 *volucris* . . . *nec tendere contra* . . . *valet*. [6]) cf. p. 17. [7]) Contra non est sequenda coniectura codicis B in v. 453 *confossi* pro *confossa* sed hoc tenendum, quo concinnior fiat descriptio. De producta propter duplicem consonam insequentem syllaba *a* cf. ind. gramm. p. 64. [8]) cf. Ov. Met. XIII 251 sq. *atque ita captivo victor* . . . *potitus ingredior curru laetos imitante triumphos*.

confusa E, *confusi* (*i* ex corr.) L, *confusi* cet., 703 *pernoctata* LR, *pernotata* (*per notata*) cet. (*per nocturna* B, *per secreta* G),[1] 718 *at* B, *aut* cet., 743 *dardanidum* R, *dardanium* cet., 829 *arma* E, *armis* cet., 869 *exoreretur* R, *exoriretur* cet. (*exoriatur* EL), 875 *terra* ELB, *ter* W (*ra* add. m. 2), *ter[r]a* (*r* in ras. m. 2) P, *terga* FM, *terre* (*re* ex corr. ita ut subluceat *g*) N, *terga* (*a* ex corr.) V, ≡*erga* R; archetypon continuit *terga,* 877 *annosaque* M, *animosaque* cet.,[2] 1048 *quo* L, *qua* cet.,[3] 1059 *iussa suarum* L., *iussa suorum* cet.

Versus ab ipso patre codicum omissi fuisse videntur post 293,[4] 518,[5] 827,[6] 1037.[7] Falso loco conspiciuntur vss. 109,[8] 597,[9] 790.[10] Ex glossemate textum invasit v. 936; quod idem fortasse accidit in vss. 843 sq. et 946.[11] Repetitus est ex v. 873 v. 863a.[12]

Sed ut quaestionem de statu archetypi plane absolvam, defendenda mihi remanent nonnulla, quae viri docti falso tradita rati coniecturis eliminare studuerunt.[13] Traditum est:
v. 29 *annosaque tempora plangit* (*pectora* EM, B non legitur). Fidei maxime codicis Erfurtani confisi se addixerunt editores lectioni *pectora. tempora* tamen, quod in archetypo fuit, ipsa loci sententia commendatur. Planctu enim tempora deformat sacerdos, quod, quamquam *sollemni tempora vitta implicitus* erat, ab Agamemnone despectus est. Praeterea de capite, quod canis crinibus senectutem ostendat, aptius *annosus* dicitur quam de pectore. 47 sq. *vixque rogis superest tellus, vix ignibus aer,*

---

[1]) *loca pernoctata* i. loca, in quibus pernoctatur. [2]) *annosaque* ut comprobemus suadent et ipsa sententia et Martialis locus I 15, 2 *cana . . . iura.* [3]) cf. testimonium Lactantii p. 6. [4]) Lacunam indicavit Vollmer propter offensionem quam praebet lorica tergo praedita; hoc enim clipeum tegere solet. cf. v. 612 *clipeo septemplice reppulit ictum.* [5]) Traditum est in fine v. 518 *victor* (*victus* solus B), quo epitheto etiam v. 352 Menelaus ad pugnam festinans celebratur. [6]) cf. p. 32. [7]) Plane deest, unde pendeat quod in omnibus codicibus extat, *concedere honores.* [8]) Hunc ante 108 reposuit Vollmer. [9]) cf. Vollmer l. l. p. 481. [10]) cf. ibid. p. 472. [11]) In N hic versus mg. m. recent. suppletus est. [12]) cf. p. 39. [13]) Alia suo loco in ind. gramm. attuli, ubi cognatis defenduntur.

deerat ager tumulis. Schraderi coniectura *arbor* pro *aer* non potest comprobari. Optime enim poeta triplici quasi ordine descriptionis in cadaveribus cremandis versatur: cum componuntur, vix tellus superest rogis exstruendis, cum cremantur, aer deficit ignes, cum in favillas abierunt, ager deest tumulis. Liberius formatus est locus secundum Ov. Met. VII 611 sq. *qui lacriment desunt, indefletaeque vagantur . . . animae . . ., nec locus in tumulos nec sufficit arbor in ignes.*[1]) 90 *ulciscere meque meumque corpus. corpus* viri docti mutant in *pignus.* Compara tamen v. 987, ubi omnes codices praeter PWL (hi inepte *pectore*) *corpore* pro *filio* exhibent et ea, quae explanavi p. 11 ad v. 1039.[2]) 103 *haec ita dona refers nobis.* Addito *ita* similiter augetur vis demonstrativi Verg. Aen. XI 822 *atque haec ita fatur.* 156 *arma parari dux iubet atque animos aptare et pectora pugnae.* Concinunt haec cum adhortatione Agamemnonis apud Homerum (Il. B 381 sqq). Qua re id, quod Baehrensius supposuit, *dux omnis iubet atque aptari c. p.*, refellitur; de libera verborum constructione cf. Vollmer ad Stat. Silv. V 3, 4. 217 *tulit arma carinis* (*dat in arma carinas* E). Glossema videtur esse lectio codicis E atque recto talo stare, quod plurimi libri praebent. Arma enim, quae duces Troianis illaturi erant, antequam classes appulerunt, navibus ferebantur. Sensu quodam translato hic *arma* adhibetur. 222 *iamque citae appulerant classes camposque tenebant* (*citam—classem* EL). Totum versum spurium habet Mueller, graviter corruptum Baehrens. Sane clarum est verba cum vss. 159 sq. non apte convenire. Sed videas, ipsine poetae peccatum potius tribuendum sit quam librariis, qui unanimiter versum sic in archetypo fuisse testantur.[3]) Poeta enim ad animandam descriptionem secundum Homerum classem in itinere esse fingit. Qua re etiam explicatur illud *ire temptabat* in v. 207 (sc. per pericula maris). Sed absoluta navium enumeratione versu 220 *his ducibus Graiae Troiana ad litora*

---

[1]) cf. Sen. Oed. 68 *deest terra tumulis, iam rogos silvae negant.*
[2]) cf. et v. 1038, ubi liberius usurpatur *funus meum* pro *mortuum filium.*
[3]) cf. Verg. Aen. XI 903 *vix . . . exierat campumque tenebat, cum . . .*

puppes . . . venere, revertit poeta ad ipsam narrationem atque studio nectendi insequentia cum antecedentibus plane neglegit res initio libri descriptas, ita quidem ut pergat: *iamque citae appulerant classes* etc. Quae interpretatio confirmatur verbis v. 224 *venisse ad bella Pelasgos,* quo loco longe a ratione poetae recedere puto quod voluit Schenkl: *exisse ad bella.*

288[1]) *ille virum . . . venientem reppulit.* Nescio cur Mueller et Baehrens scripturam traditam corruptam duxerint. *Venire* de eo qui adgreditur etiam apud Vergilium in usu est. cf. Aen. XII 510 *hunc venientem cuspide longa . . . ferit;* ibid. 595 *regina ut tectis venientem prospicit hostem.*[2])

344 *dum . . . haberent* (*cum* LMN). cf. v. 710 *abdiderunt . . . sua corpora . . ., dum . . . praecederet illos.* Vide et coniunctivum post *dum* apud Vergilium, Georg. IV 457: *illa . . . dum . . . fugeret . . ., hydrum . . . non vidit.* 349 *dissecat* (*discidit* F). Baehrens in notis ex *discidit* coniecit *dissicit.* Sed apparet *discidit* ex versus prioris suprascripto *incidit* ortum esse. 370 *prostratus vulnere forti* (*tristi* MN). *tristi* glossa est ex v. 450 petita. De *forti* dubitari nequit; similiter in vss. 748 et 811 *ingenti vulnere* legitur.[3]) 396 *ille, . . . veluti . . . leaena . . ., sic ruit . . . heros.* Kooten *ille* correxit in *inde,* Baehrens in *atque.* Sed alterum eandem difficultatem praebet quam *ille,* alterum si genuinum est, quomodo *ille* potuerit oriri non intellegitur. Videtur ἀνακολουθία adesse. 429 *petit . . . Phaestum.* Nihil mutandum est. Quo enim eventu Idomeneus petierit Phaestum, satis elucet e verbis quae sequuntur: *cuius post funera.* 430 *laetus . . . demittit ad umbras. Atrides* correxerunt Schrader et Higtius; tamen

---

[1]) Fortasse in v. 257 res metrica nullam mutationem postulat (cf. 966 *valēt ultra*). Sed utut est, Vollmeri coniectura *quo* pro *o* multo praestat vulgatae lectioni *pro.* Et mihi quidem persuasit, cum in Lucano, Phars. VI 149 sqq., haec legerem: *hic ubi quaerentis socios iam Marte relicto tuta fugae cernit 'quo vos pavor' inquit 'abegit impius . . .? [o famuli turpes . . ., absque cruore] terga datis morti?'* [2]) Similiter fortasse v. 434 legendum est: *venientem Hypsenora fundit* (PWEFV *vehementem,* MN *vetuentem,* BL *venientem* tradunt). [3]) cf. v. 672 *letali vulnere.*

poetam hoc loco ab Homero recessisse potius credam quam *Atrides* abiisse in *laetus*. 432 *librata percutit hasta*. Omnino non intellegitur, cur Schrader in codicum scriptura offenderit. Ipse Homerus de percussis hostibus agit. cf. Il. E 66 ἡ δὲ διαπρὸ ἀντικρὺς . . . ἦλυθ' . . . ἀκωκή et v. 74 ἀντικρὺς . . . τάμε χαλκός. 455 *manum . . . contulerant iactis inter se comminus hastis*. *que* post *iactis* addidit Kootenus. Sed verba tradita optime exprimere videntur haec: postquam hastas iecerunt, manus contulerunt et ensibus utebantur. cf. v. 951 *concurrunt iactis inter se comminus hastis invicti iuvenes*. 489 sq. *non actor . . . non . . . terret turba canum* parenthesi adhibita scribendos esse censeo. 548 *armatas . . . Palladis arces Iliades subeunt*. *armatas* sprevisse editores mirandum est. Sunt *armatae Palladis arces* ἀκρόπολις Troiae propugnaculis munita, in qua Minervae templum situm erat (Hom. Il. Z 297). cf. Verg. Aen. XI 477 *ad templum summasque ad Palladis arces subvehitur*.

555 *nomenque genusque roganti qui*[1]) *sit et unde ferat* (*quis* B, *qui* ex *qus* corr. F). Tuentur *ferat*, quod Baehrens adulteravit in *ferus*, verba Vergili. cf. Aen. X 149 *memorat nomenque genusque quidve petat quidve ipse ferat*. *nomenque genusque* ἀπὸ κοινοῦ[2]) pertinet et ad *qui sit* ut accusativus relationis et ad *unde ferat* ut obiecti. 567 *oscula parva petit*. Cum consilio poetam his verbis usum esse arbitror, ut *maximus heros* et *parva oscula* opponeret. 616 *iam rursus ad arma coibant, stringebant iterum gladios*. Libri omnes *que* post *stringebant* omittunt iure, ut mihi quidem videtur. Nam sic bene explicatur illud *rursus ad arma coibant*. *arma* hoc loco non bellum vel pugnam sed enses significat. Conferatur v. 590, ubi arma telis opponuntur.[3]) 693 *aut*. Baehrens in notis coniecit *atque*. Sed *aut* suspectum non est. Nam Achillis iram, ut duae res excitaverant, et abripi sibi Briseidem et

---

[1]) Quod Ehwald (l. l. p. 58) affert locum Vergili, Aen. VIII 114 *'quo tenditis' inquit, 'qui genus'*, nihil ad rem lucratur, cum *qui* hoc loco pluralis sit. Melius comparatur Ov. Met. XI 279 *qui sit, quoque satus memorat*. [2]) De usu huius figurae v. ind. gramm. p. 62. [3]) De asyndetis v. ind. gramm. p. 61.

ab altero possideri, ita duae placare poterant, et reddita Briseis et ab Agamemnone non tacta. 811 *perturbat . . . acies vastumque per agmen sternit. saevit* pro *sternit* coniecerunt viri docti Itali. Sed videtur *acies* ἀπὸ κοινοῦ et ad *perturbat* et ad *sternit* positum esse. 845 *comptosque in pulvere crines deformat.* Pro *in* Baehrens scripsit *dein.* Lectio tradita autem confirmatur loco Vergili, Aen. XII 99, *foedare in pulvere crinis.*

939 *in somnis veluti, cum pectora terruit ira. pectora terret imago* reposuit Baehrens. At locus eo explicatur, quod somnia, qualia hic describuntur, evenire solent, cum ante somnum pectus ira occupatum fuit. 961 *vibratum* (*libratum* E). Optime dicitur, ut *librabat* de gravi hasta Achillis, ita *vibratum* de leviore Hectoris iaculo, quod nullo successu clipeum ferit.

975 *altos corde premit gemitus. petit* pro *premit* coniecit Kootenus. Sed loci quidam Vergiliani demonstrant *premit* servandum esse. cf. Aen. I 209 *premit altum corde dolorem;* ibid. IV 332 *curam sub corde premebat;* ibid. X 464 *magnumque sub imo corde premit gemitum.* 1053 *abrumpunt crines. abrumpunt* a Muellero in *corrumpunt* adulteratum tuetur locus Ovidianus. cf. amor. I 14, 15 *non acus abrumpit, non vallum pectinis illos* (capillos).

Maxime autem nunc adnotandum est exemplar, ex quo omnes codices nostri emanaverunt, Visigothicis litteris perscriptum videri.[1]) Quod pono inprimis propter scripturam codicis R in v. 675. Pro lectione enim proba, quam PWMN dant *incautum,* praebet R *in quantum,* FVG *extento,* B *exteto,* EL *ex toto.* Atque primo obtutu apparet *in quantum*, quod certe etiam ceterorum codicum turbas genuit,[2]) ortum esse eo, quod pro *incautum* Visigothice scriptum erat *inquautum.* Huc referri potest etiam v. 754, ubi *acrique incitus* traditum est pro *acri concitus.* Videtur enim archetypon Visigothicum habuisse *acri quoncitus.*[3]) Nec desunt alia veteris scripturae vestigia, ut exhibent in v. 197 codices omnes *provectus* pro *profectus,*

---

[1]) cf. Vollmer Mon. G. hist. a. ant. XIV p. 445 sqq., Traube PMA III p. 791 sqq. [2]) cf. p. 29 sq. [3]) cf. etiam *quornipedis* p. 7.

206 *orda* PW pro *horrida* (*orida* Visig.), 374 *transadiit* plurimi codices pro *transadigit*, 489 *auctor* pro *actor*, 490 *exurgens* PW¹ pro *esuriens* (more Visig. *esurgens* scriptum), 586 *divum* pro *durum*. Wotke (l. l. p. 159) ex scriptura codicis W in v. 967, quam sibi legisse videbatur *in Stantemque*, conclusit patrem codicis W scriptum fuisse uncialibus litteris, nimirum cum non animadvertisset *in* tertia manu saeculi demum XIVⁱ additum esse.

Codicum, qui ex patre illo, quem agnovimus, nati sunt, praecipue undecim aliquam sibi vindicant auctoritatem. Vetustissimi eorum sunt Valentinianus 420 fol. 110ᵇ—116ᵇ W et Plantin-Moretianus 89 P, uterque Xⁱ saeculi. Quos accuratius describere post Vollmerum supersedeo.[1]) Idem iam compluribus locis probavit P et W cum artissime inter se nexos esse tum passim contra omnes ceteros codices memoriam carminis sustentare. Licet tamen mihi ad statum codd. PW melius perspiciendum illa repetere simulque ad corroborandam eorum fidem nonnulla addere, quae proba atque antiqua contra alterum traditionis ramum ab iis solis servantur. Sic praebent

v. 7 *protulerant* PW, *protulerunt* Ermenricus, *pertulerant* ceteri, 38 *si qua ut* PW, *si quā ut* EFLV, *siquā* ∷ B, *si quas* M, *si quid ut* GN, 191 *comitator* P, *comitat[u]r* W,[2]) *comitatur* cet., 327 *te . . . contendere iussit* PW, *tibi . . . cont. suasit* L, *tibi . . . suasit contendere* E, *tibi . . . cont. iussit* cet.,[3]) 417 *volucris* PW, *volucer* cet.,[4]) 510 *stricto concurrere* P, *stricto[que oc]currere* W, *strictoque occurrere* cet., 550 *ex more* PW, *ad templa* cet., 565 *a pectore* P, *[ad] pector[a]* W, *ad pectora* cet., 589 *iaculant* PW, *iacula* B, *iaculis* E, *iactis* (*tis* ex corr.) L, *iaculans* cet., 601 *ardorque aiacis in armis* PW, *similisque eacides armis* cet., 623 *se ferre* P, *[re]ferre* W, *referre* cet., 665 *fulgens ardentibus armis* PW, *ardentibus emicat armis* cet., 666 *pondere* P, *[turbine]* W, *turbine* cet., 763 *muroque* PW, *valloque* cet.,[5]) 783 *fluentis*

---

[1]) cf. l. l. p. 468 sqq. [2]) His uncis [ ] inclusi, quae W³ in rasuris supplevit. [3]) cf. p. 34 not. 3. [4]) Credibile non est poetam hunc ex usu priscorum *volucer* pro feminino dedisse. [5]) *vallo* glossa videtur esse.

PW, *fluento* cet., 818 *age nunc* PW, *age huc* cet., 820 *quantum bello* PW, *quantum in bello* cet., 839 *plebe* PW, *pube* cet., 840 *gerit* W, *gemit* P, *tulit* M, *refert* FG, *ferunt* cet.,[1]) 879 *severa* PW, *serena* cet., 882 *ille* P, *ill[a]* W, *illa* cet., 895 *vidit* PW, *contra* vel *huic* vel *huic contra* cet., 932 *mortis* PW, *matris* cet., 933 *non* P, *n[ec]* W, *nec* cet., 957 *saevis* PW,[2]) *saevus* MNL, vers. omitt. cet., 967 *stantemque* PW, *instantem* cet., 978 *vulnera* P, *[fu]nera* W, *funera* cet., 1002 *vulnera* PW, *funera* vel *corpora* cet.

Praeterea addunt PW post 68 versum bonum, quem ceteri omittunt et integros reddunt vss. 84 sq., quos ceteri in unum confuderunt.[3]) Item se habet res in vss. 750 sq.[4])

Versum 92 altera familia in margine supplevisse videtur, quippe quem N cum PW recte post 91 M post 96 exhibeant, ceteri partim mg. adscribant partim sileant (cf. v. 605).[5])

Ordinem verborum soli recte instituunt PW in vss. 172 *bellatrix delegit Graecia* (*delegit bell. Gr.* cet.) et 880 *castae resonant paeana puellae* (*resonant castae paeana puellae* cet.). Addunt, quae ceteri omittunt, *que* v. 681, *et* v. 733, *omnibus* v. 1060.

Non paucis locis singuli codices[6]) cum PW verum testantur. Sic tradunt

PWB v. 328 *an* (*aut* cet.), 431 *et strepio* (*estrepio* cet.), 644 *is* (*his* cet.) 696 *alterius* (*ulterius* cet.). PW¹BN v. 184 *duces* (*decus* FM, *decons* V, *decens* [*ens* ex corr.] L, *simul* E).[7]) PWBL (hic ex corr. m. 1) v. 325 *discuteret* (*discideret* FV, *divideret* MN, *disiiceret* E)[8]), 333 *cast(a)e* (*caut(a)e* cet., *cau ≡ te* E).[9]) 367 *adversum* (*adversam* cet.), 385 *pugnabat* (*pugnantur*

---

[1]) Apparet in archetypo omnium vel plurimorum codicum ad *gerit* suprascriptam fuisse glossam *fert.* Quam, cum a metro abhorreret, pars mutaverunt in *ferunt* pars in *refert* vel *tulit.* [2]) cf. vss. 28 et 1017. [3]) Aberratum est propter similes versuum clausulas *armis* et *auras.* [4]) Hic librarius commutavit *petit* et *ferit.* [5]) Deceptus est librarius alterius archetypi initiis similibus versuum 92 et 93, *Turpiter, Juppiter.* [6]) De consensu codd. PW cum MN v. p. 29 sqq. [7]) cf. Verg. Aen. II 261 *Thessandrus, Sthenelusque duces et dirus Ulixes.* [8]) *divideret* et *disiiceret* glossae sunt. [9]) In E *s* supra lin. additum in textum inrepsit, postea iterum erasum est.

cet.). PWE v. 463 *humi* (*humo* cet., E m. 1 suprascr.), 599 *fulgura et ignes* (*fulguraque ignes* BFL, *fulgura in ignes* V, *fulmina et ignes* MN), 894 *casta cum* Pallade (*cum casta Pallade* cet.). PWL v. 600 *magnoque implentur murmure* (*implentur magno quoque m.* E, *magno implentur sic m.* BFV [in hoc *sic* supra lin. m. 2], *magno impl. tum m.* MN; in archetypo alterius classis *que* excidisse videtur). PWLR v. 721 *quod* (*quos* cet., *cum* B). PWEL v. 368 *aiacem* (*eacidem* cet.). 406 *gravi* (L ex corr., *gravis* cet.). PWELR v. 873 post 874 (omitt. v. cet.)[1]. PWF v. 93 *haec contra* (*huic contra* MNEL *huic dixit* BGV).[2]) PWFL v. 420 *plaudit* (*plangit* BEV, *pulsat* MN).[3]) PWV v. 465 *condit* (*tegit* vel *texit* cet.),[4]) 521 *bellum funestaque proelia* (cet. varia habent). PWFV v. 569 *cristamque comantem* (*cristasque comantes* cet.); 1020 *fuit hoc defensa* PW[1]V, *ruit et defensa* F (*cecidit defessa* cet.).[5]) PWBFV v. 615 *integratque* (*integrat* [*que* supra lin.] L, *integrat atque* E, *integrat et* MN; varietas lectionum docet in archetypo altero *que* defuisse).

Vestigia veri fidelius servaverunt PW : v. 405 *pregneus* pro *Phegeus* (*praeceps* cet.), v. 433 *phegeumq;* W, *feg.* P, *pergeumque* MN, *preg.* cet. pro *Pedaeumque,* v. 541 *vi deducat* PW, *ant-ant* cet. pro *vivo ducat,* v. 1010 *astur* (sic et L) pro *astus* (*astu* cet.).[6]) Ex hoc ipso conspectu elucet, quam lubrica testimonia alterius classis sint, quae interpolationibus atque correctionibus scateat. Nam alteram classem constituere omnes praeter PW necessario probatur eo, quod tot talibusque mendis contra PW conspirant. Ne tamen nimium fidei codicum PW tribuas, afferantur et peccata, quae fontem illum, ex quo orti sunt PW, turbidaverunt. Eadem luce clarius evincent, id quod adhuc silentio posueramus, PW unius stirpis esse.[7])

---

[1]) cf. p. 39. [2]) *huic* vel *huic dixit* glossatori debetur. Notandum est *contra,* ubi in hoc poemate de respondente usurpatur, accusativum secum trahere. cf. *quem contra* v. 271 (283, 522), *contra quem* v. 988. [3]) *plangit* et *pulsat* glossae sunt. [4]) cf. p. 31. [5]) cf. p. 41. [6]) *astus* conicere praesto est. cf. cum hac structura ea, quae composui in ind. gramm. p 57. [7]) Tamen uterque sui iuris est, ut probavit luculenter Vollmer l. l. p. 476 sq. cf. etiam discrepantias codd. PW quas protuli p. 21. sqq.

Multa neglegentiae librariorum debentur ut in vss.:

52 *prodere* (*prod.* P *perd.* W) pro *edere,* 206 *orda* pro *horrida,* 208 *idoneus* pro *Idomeneus,* 281 *praecedit* pro *procedit,* 300 *rigidi* pro *rigido,* 351 *polidorius* P *pol[i]d[a]rius* W pro *Podalirius,* 364 *perdurato* W *p[re]durato* P pro *praedurato,* 443 *astrondam* P *astron[ium]* W pro *astronium* (*astynoum* recte), 515 *ictu* ≡ W *ictus* P pro *ictu,* 570 *[ae]re* W (fuit *ore*) *aiere* P pro *aere,* 576 *unam* pro *una,* ibid. *in certamine* pro *in certamina,* 588 *portibus* P *sortibus* W (*s* radendo ex *p*) pro *sortibus,* 615 *ad ima* pro *ad arma,* 616 *in undis* pro *in undas,* 675 *argum* P *ar[c]u* ≡ W pro *arcu,* 739 *fata* pro *facta,* 778 *undas* pro *umbras,* 843 *lacrimas* pro *lacrimans,* 855 *ille* P, *ill[a]* W pro *illa,* 865 *armorumque* P, *a[n]norumque* W pro *annorumque* (*astror.* EG), 867 *oceanus* pro *occasus,* 888 *tundent* W *tondunt* P pro *tondent,* 889 *medius* pro *mediis,*[1]) 909 *terra* pro *ira,* 928 *tropido* W, *trepidant* P pro *trepida,* 943 *h(a)ec* pro *nec,* 962 *succensus* (m. 1 ut vid.) pro *successus,* 968 *dum* W, *tunc* P pro *dumque,* 986 *pelex* P *pel[eus]* W pro *peleus,* 1000 *dnī* W *dominum* P pro *domini.*

Gravius erratum est in his: 254 *vidit* PW (glossa), *cernit* cet., 377 *post haec egeum* PW, *inmanē eg.* MN, *inque mare eg.* cet. pro *iamque Amarynciden,* 402 *ex(s)tinctos* PW, *instructos* vel *ex(s)tructos* (hoc recte) cet.,[2]) 434 *Eripides* P *E[ripilus]* W *Euripides* B, *Eurip(h)ilus* cet., 509 *inmenso* PW, *inmisso* cet. (*iñmisso* MN, *dimisso* V), 528 *fortissima* PW, *pulcherrima* cet.,[3]) 594 *aer* PW, *aether* cet., 704 *eumenides* PW,[4]) *ecce dolon* cet., 712 *fixus* P, *fi[dens]* W, *fidens* cet., 871 *freto* PW¹, *fretis* cet., 905 *sed* PW, *at* cet., 907 *numinis* PW, *fluminis* cet.,[5]) 964 *collectis* PW, *collatis* cet., 987 *pectore* PW (et L),

---

[1]) Rectissime stat *mediis armis* i. medio clipeo. cf. v. 670 *vastis protectus in armis* i. vasto pr. in clipeo. [2]) *exstinctos,* quamquam prolepsi Wotke defendit, refellitur loco Ovidiano Met. V 88 *inde . . . sternit et exstructos morientum calcat acervos.* [3]) *pulcherrima* ut praeferamus suadet Verg. Aen. XII 270 *ut forte novem pulcherrima fratrum corpora constiterant contra.* [4]) *eumenides* interpolatum est e v. 710. [5]) *numinis* glossa est. cf. Hom. Il. Φ 136 ποταμὸς δὲ χολώσατο.

corpore cet.,[1]) 997 *animis* P, *animus* W[1], *animi* cet.,[2]) 1002 *deflent* PW, *plangunt* cet., 1050 *argutaque* PW, *argivaque* cet.

Omittunt PW v. 985 falsoque ordinant vss. 969 sq. post 933, unde iure conclusit Vollmer archetypon, ex quo deducti sunt PW, circiter 34 vss. in unaquaque pagina continuisse.

Rectum verborum ordinem commutaverunt in vss.: 109 *dapibus largis curant sua corpora divi* pro *dapibus divi curant s. c. largis*, 519 *menelai ductorem* pro *ductor menelai;* 535 cum foedissima interpolatione exhibent *petere inferna* pro *caelum petere.*

His, quae soli perperam dant PW, se aggregant ea peccata, quae FV, interpolationibus foedati, communiter cum PW continent.[3])

Nonulli restant loci, quibus de vero ambigere licet. Commemorandi sunt: 631 *graium troumque* PW[1], *troum danaumque* cet., 648 *iussis* PW, *iussu* cet., 769 *omnes turbati fugiunt* PW, *turbati fugiunt omnes* cet., 770 *instat* PW, *urguet* cet., 1007 *vapido* PWV, *vapido* ± F, *rapidos* L, *varios* cet., 1047 *apparat* PW, *comparat* cet., ibid. *extremaque* PW, *supremaque* cet.

Iam cum quaeratur, P an W archetypon diligentius reddat, videndus est conspectus eorum, quae uterque codex peccavit. Atque leviora in P inveniuntur haec:

37 *si* P[1], *sim* W, ibid. *iudice* P, *vindice* W, 39 *admissi* P (ut vid.), *admisi* W, 75 *laetum* P, *letum* W, 102 *troium* P, *troum* W, 127 *sotios* P (passim), *socios* W, 155 *consiliumque* P, *conciliumque* W, 176 *iuxa* P, *iuxta* W, 187 *talineus* P, *talmenus* W (*Ialmenus* recte), 220 *littora* P, *litora* W, 259 *an non* P, *at non* W, 262 *sudorum* P, *ludorum* W, 294 *cum* P, *tum* W, 301 *tum* P, *cum* W, 313 *recurrūnt* P, *recurrit* W, 314 *intorsit* P, *contorsit* W, 336 *vinctis* P, *iunctis* W, 373 *demofonta* P, *demofoonta* W (*Democoonta* recte), 397 *fuit* (ut vid.) P, *ruit* W, 411 *calido* P, *calidum* W, 449 *pandere* P, *pandare* W,

---

[1]) Opponuntur *nostro corpore* (sc. Astyanax) et *Pyrrhus.* Agitur de filio utriusque, atque aut *pignore* corrigendum est aut, quod equidem malim, *corpore* retinendum. cf. v. 90. [2]) cf Verg. Aen. V 202 *furens animi* (Sil. X 280. Apul. Met. VI 2). [3]) cf. p. 41.

453 *sparsit* P, *spargit* W, 471 *ubi* P, *ibi* W, 480 *reiectum* P, *deiectum* W, 524 *tunc* P, *hunc* W, 526 *sautius* P, *saucius* W (cf. 537), ibid. *contamine* P, *cert.* W, 539 *arastrum* P, *adrastum* W, 542 *cecidit* P, *cedit* W, 604 *dirimit* P, *dirigit* W, 625 *et* P[1] (ut vid.), *ē* W, 653 *dilabitur* P, *delab.* W, 675 *protegit* P, *proterit* W, 682 *et* P, *at* W, 716 *prestatis* P, *perstatis* W, 807 *pervolat* P, *provolat* W, 809 *tunc* P, *nunc* W, 826 *perlapsam* P, *prolapsam* W, 840 *gemit* P, *gerit* W, 851 *agit* P, *ait* W, 869 *exoritur* P, *exoriretur* W, 920 *appellit* P, *propellit* W, 927 *succensus* P[1], *successus* W, 968 *tunc* P, *dum* W (*dumque* recte), 971 *invocat* P, *invocet* W, 986 *moneat* P, *moveat* W, 1000 *dominum* P, *dnī* W (*domini* recte), ibid. *fer* P, *fert* W, 1001 *attulit* P, *detulit* W, 1030 *sentit* P, *sensit* W, 1058 *pervolat* P, *provolat* W.

Graviora sunt haec: 1 *musa* P (glossa), *diva* W, 71 *chreseide* P, *br[i]seide* W, 83 *thetis et* P, *at thetis* W, 87 *a nato* P, *pro n.* W, 181 *longaque cum denis* P, *longaque ter denis* W, 183 *armatas*[1]) P, *ornatas* W, 295 *galea galeam terit* P, *galeam galea terit* W, 452 *dissecat* P, *dissipat* W, 465 *corpus nigra* P, *nigra corpus* W, 630 *certamine* P, *celamine* W, 757 *cum toto* P, *contento* W, 862 omnipotens P, *ign[i]potens* W, 889 *inter stabat medius* P, *inter medius stabat* W (*inter mediis stabat* recte), 1014 *tubis comitatur* P, *redit turbis comitatus* W, 1053 *corpora* P, pectora W. Versus exciderunt in P 59 et 1068, praeterea omisit *que* in vss. 201 (bis), 383, 578, 792; addidit falso *que* in v. 393. Vides igitur verba in P non tam consilio mutata quam neglegenter descripta esse. Cuius rei argumenta sunt praecipue ii loci, quibus P errores festinatione commissos inter scribendum studuit corrigere, ut in vss. 25 *unus* ł *imis*, 393 *cruentat* ł *choruscat*, 714 *rapiunt*, supra *r* : ł *c.*, 862 *orbem* ł *arcem*, 965 *armis enses* (*armis* e v. suprascr.), 983 *precum ducum* (*precum* e v. sup.).

Diligentius exemplar suum secutus est W, ut discimus ex hoc mendorum conspectu:

---

[1]) *armatas* glossa est; similiter supposuerunt NV *oneratas*.

Leviora sunt: 52 *perdere* W, *prodere* P,[1]) 146 *admovitque* W, *admonuitque* P, 337 *solito* W, *soluto* P, 365 *vovit* W, *vomit* P, 381 *annos atque* W[1], *annosaque* P (*animosaque* recte), 429 *hic* W, *hinc* P, 473 *animas* W, *animos* P, 504 *aversos* W, *adversos* P, 548 *innubtae pallidis* W, *innuptae palladis* P, 583 *tras* W, *troas* P, 605 *hasta* W, *astu* P, 607 *letus* W, *levis* P, 616 *confessus* W, *cum fessus* P, 762 *limite* W, *limine* P, 833 *deprehendit* W, *deprendit* P, 878 *equis* W, *aequus* P, 880 *custe* W, *castae* P, 905 *dardanei* W, *dardana* P, 950 *nunimina* W, *numina* P, 974 *defenso* W[1], *defesso* P, 957 *animus* W[1], *animis* P.

Graviora extant: 21 *nata suae reddatur causa* W, *causa suae redd. nata* P, 48 *nonae sidera noctis* W, *noctis sidera nonae* P, 151 *remonebo* W, *remoneboque* P, 270 *conferre manus decernere ferro* W[1], *conferte manus decernite ferro* P, 333 *amor* W (glossa), *ardor* P, 387 *virtus modo* W, *modo virtus* P, 788 *promacem prosternit* W, *promacem sternit* P, (*Promachum quem sternit* recte), 851 *o hector* W, *hector* P, 1037 *nec* W, *non* P, 1057 *pectore* W, *corpore* P, 1062 *i[lle]* W (vid. primitus fuisse *ipse*), *ille* P.

Non uno loco cum omnibus W peccavit contra P: v. 70 *heret* P, *m(a)eret* cet., 137 *protervior ulli* P, *protervior alter* cet.,[2]) 191 *quas* P, *quos* cet., 372 *concussus* P, *commotus* gest. Ber., cet.,[3]) 461 *moverent* P, *movebant* cet.[4]) (*levarent* B), 679 *se* P, *s* ≡ (fortasse primitus *seque*) W, *sed* vel *set* cet., 915 *et* P, *sed* W[1] (ut vid.), *sed* vel *set* cet., 945 *pallantesque* P pro *pallentesque, pallentemque* cet.

Disceptari potest de vero in vss. 930 *obducto* P, *obiecto* cet., 1028 *graium* P, *graiae* cet., 902 *clarae nobis gentis* P, *clarae gentis nobis* cet.

---

[1]) *prodere* glossa est vocis *edere*. [2]) cf. Vollmer l. l. p. 476. [3]) cf. Verg. Aen. V 700 *casu concussus acerbo*, ibid. 869 *casuque animum concussus amici*, VI 475 *casu concussus iniquo*. [4]) B librarium suo Marte coniecisse in aperto est. Coniunctivus potentialis desideratur et ipsa sententia et propter Homericum ὃ οὐ δύο γ᾽ ἄνδρε φέροιεν (Il. E 303). cf. etiam Verg. Aen. XII 897 sqq. *saxum . . . ingens, campo quod forte iacebat . . ., vix illud lecti bis sex cervice subirent, . . . ille manu raptum . . . torquebat in hostem.* cf. Ov. Met. XII 432, Fast. I 564.

Inter reliquos codices, qui memoriam Iliadis Latinae propagant, codd. Monacenses MN non, ut adhuc censuere viri docti, minimam[1]) sed maximam sibi poscunt fidem. Qui ut nimis despicerentur non nihil fecerunt collationes Baehrensii, quae erroribus abundant. Et ego quidem, cum adnotatio Baehrensii, qua docet vss. 217 et 218 ab M et V in unum esse contractos, cum stemmate quod confeceram plane non conveniret, codices ipse adii et postquam illum hoc loco erravisse vidi, denuo contuli atque multa enotavi, quae et lectiones Baehrensii corrigant et auctoritatem codicum MN valde corroborent. Ita autem res se habet, ut, licet maxime interpolati sint, tamen contra omnes praeter PW codices Monacenses auctoritatem sibi vindicare videantur.

Codex Monacensis M (Teg. 1463) n⁰ 19463 membr. 8⁰ folia complexus 51 saeculi XII[1] est. Continet haec:

fol. 1—12 *Geta poema.*

12 versus 45 de nummo. *in terra summus rex est hoc tempore nummus.*

13—35 *Homerus de bello Troiano.*

35 *frowe tugintriche.*

36—51 *liber Maropodii de lapidibus.*

51 versus 13. *haec cum scire velis taratantara disce fidelis.*

Codex Monacensis N (Teg. 1462) n⁰ 19462 membr. 8⁰ saeculi XII[1] tineis et putore male affectus exhibet

fol. 1—18 *de bello Troyano Homerus,* 18—24 *liber Theodoli* (ecloga).[2])

Ac primum quidem, quod attinet ad horum codicum consanguinitatem, plurima atque insignia menda communem originem indicant, ut, quisquis primam evolverit paginam, sibi persuadeat eos quam proxime affines esse. Sic soli praebent haec librariorum peccata:

198 *salmonius* M, *salamonius* N pro *salaminius,* 305 *disiluit* pro *dissiluit,* 315 *eripuit* pro *eripit,* 325 *et totus* pro *totus mihi,*

---

[1]) cf. Wotke l. l. p. 159. [2]) Memorabile est in P Theoduli eclogam Homero Latino antecedere.

335 *aspiceres* M *aspicereres* (sic) N pro *aspicies,* 337 *incumbit* pro *incubuit,* 364 *corpora* pro *pectora,* 378 *imbrisiles* M, *umbrisiles* N pro *umbrasides* (*Imbrasides* recte), 391 *hotis* pro *hostis,* 394 *fragantiaque* pro *flagrantiaque,* 411 *de corpore* pro *de pectore,* 431 *estripio* pro *estrepio* (*et strepio*), 436 *volitans* pro *volitat,* 443 *alpenora* pro *hypenora* (sic fere ceteri; *Hypsenora* recte), 456 *viscera* pro *corpora,* 459 *infesta* pro *infesto,* 488 *videt* pro *vidit,* 509 *infestamque turmam* pro *infestasque turmas,* 509 *iñmisso* pro *inmisso* (*inmenso* PW), 513 *figitur* pro *infigitur,* 515 *fudit* pro *fundit,* 535 *appetere* pro *petere,* 566 *tenens* pro *tenet,* 577 *processit* pro *procedit,* 597 *proelia* pro *vulnera,* 599 *fulmina* pro *fulgura,* 602 *animo* pro *animis,* 609 *acrior* pro *acrius,* 632 *teget* pro *tegit,* 637 *eternae* pro *hesternae,* 660 *grais* pro *gravis,* 667 *tunc* pro *hic,* 676 *atque* pro *ast,* 693 *in corpere* pro *corpore,* 711 *oppressum* pro *oppressus,* 716 *iram* pro *ira,* 729 *temptoria regis* pro *tentoria Rhesi,* 735 *possit* pro *posset* ibid. *volucris* pro *volucri,* 746 *intusque fluit* pro *mixtusque fluit*, 749 *thesanumq;* pro *t(h)e(s)sandrumque* (*Pisandrumque* recte), 762 *irrumpunt* pro *inrumpunt,* 783 *lavare* pro *lavere,* 851 *magnasque* pro *magnoque,* 881 *pulsant* pro *pulsat,* 890 *sedebat* pro *sedebant,* 901 *angustumque* pro *augustumque,* 914 *irruat* pro *obruat,* 916 *torquentibus* pro *torrentibus,* 921 *quo* pro *quia* (*qua* L recte), 963 *disiluit* pro *dissiluit*, 1009 *meronem* pro *Merionem,* ibid. *ludendo* pro *luctando,* 1024 *dederat* pro *redderet,* 1050 *cane* pro *cav(a)e,* 1051 *et* pro *h(a)ec,* 1064 *caliope* pro *Calliope.*

Ad haec accedunt graviora, quae pater codicum MN sive ex glossis suprascriptis sive ex coniecturis in textum recepit, ut habent in vss.

298 *pro* MN, *de* cet., 316 *comptos* MN, *custos* cet., 325 *divideret* MN, *discuteret (discideret)* cet., 352 *venit* MN, *victor* cet., 370 *tristi* MN, *forti* cet., 377 *inmanem egeum* MN, *post haec egeum* PW, *inque mare egeum* cet. (*iamque Amaryncidén* recte), 381 *pannosa* M, *perannosa* N, *annosa* cet., 384 *madescunt* MN, *manabant* cet., 420 *sua pulsat pectora* MN, *plaudit (plangit) sua pectora* cet., 478 *rapido* MN, *volucri* cet., 493 *diffugiunt* MN, *deficiunt* cet., 598 *petunt* MN, *premunt* cet., 626 *audivit*

ante *Hesione* MN, *omittunt* cet., 627 *est* MN, *omittunt* cet., 645 *troica* MN, *troiae* cet., 650 *nitidis* MN, *nitidum* cet.,[1]) 665 *atrides* MN, *tydides* cet., 737 *excipit* MN, *accipit* cet.,[2]) 760 *mavortius* MN, *martius* cet., 764 *ad* MN, *in* cet.,[3]) 849 *gemitus* MN (e v. 30), *questus* cet., 910 *campos* MN, *fluctus* cet., 1017 *sevis secat unguibus* MN, *s(a)evisque arat unguibus* cet.

Ordinem verborum contra omnes mutaverunt MN in vss. 295 *galeam terit galea* pro *galeam galea terit,* 357 *danaumque cadunt* . *troumque catervae* pro *Troumque cadunt Danaumque catervae,* 359 *ex cunctis* pro *cunctis e,* 556 *temptanti temptabat* pro *temptabat temptanti,* 622 *generosa proles* pro *proles generosa,* 683 *muros premunt* pro *premunt muros,* 863a *liquidas mira* pro *mir(a)e liquidas,* 988 *quem contra* pro *contra quem,* 1043 *motus precibus* pro *precibus motus.*

Communiter *que* omittunt in vss. 453, 497, 554, 598, 599; addunt falso *que* in vss. 353, 456, 472, 549, 672, 744, 941 (bis), 1060. Versum soli adiciunt post 827, qui num genuinus sit, valde dubium est.

Praeter eas glossas, quae in textum inrepserunt, extabant in archetypo illo, ex quo descenderunt MN, permultae vocibus genuinis suprascriptae. Pars etiam nunc in utroque codice leguntur, ita tamen ut eae, quas N profert, atramento minus nigricante postea additae sint idque ut videtur secundum ipsum archetypon. Exempla ut ponam:

v. 309 apparet supra *Cytharea* : *venus, cui iudicaverat pomum,* 317 supra *arcessit : vocat,* 391 in N supra *qua : ea parte;* idem M mg., 549 in N supra *Iliades* : *matres;* idem M mg., 534 in N supra *egit : duxit;* idem M mg., 683 in N supra *excubituque : vigilo;* idem M mg., 764 supra *ad moenia : ad edificia,* 767 supra *saxa : lapides,* 773 supra *oritur : nascitur.* Totum carmen claudit

---

[1]) *nitidum . . . patefecerat orbem* dictum est cum prolepsi. cf. Ov. Met. VIII 1 *iam nitidum retegente diem . . . Lucifero.* [2]) *accipit* praestat, cum bene opponatur sequenti *recipit.* cf. etiam Verg. Aen. II 266 *portisque . . . accipiunt socios,* Ov. Met. VII 865 *quem Cephalus cum fortibus accipit armis.* [3]) cf. Verg. Aen. IX 524 *scalas in moenia poscit.*

versus: *finito libro pastum praebete magistro.* Hic in M ordinem ceterorum versuum sequitur, in N mg. adpictus est. Rarius alter codex glossam textui inseruit, quam alter supra lineam exhibet, ut v. 352 *in orrendaque* N, *in* supra lin. M, 466 *tititis* in textu, *eonides* mg. N, *eonides* in textu, *titides* suprascr. M, 484 *telo* M, *late,* suprascr. *telo* N, 978 *plangunt* M, *deplangunt* (sic) N (*deflent* recte). Duobus locis falsum textum invasit addito supra lin. vero: 618 *simul* in textu, *polo* supra lin., 770 *turres* in textu, *puppes* supra lin. In v. 315 in textu deest *venus*; supra lin. legitur: *venus paridem.* Hic illic varietas lectionum in M et N indicat patris ipsius corruptelam: v. 87 *refert* M, *fer* = tur N pro *fertur.* 203 *ducere* M, *dusere* N; *dusere* igitur MN pro *duxere.* 293 *cessisset* M, *tessisset* N; *tessisset* igitur MN pro *texisset.* 371 *carpebat* M, *carpit* N; *carpit* igitur MN pro *et carpit.* 386 *amborum inmixtis ardens* M, *inmixtis amborum ardens* N pro *inmixtis ardens amborum.*[1]) 393 *ferox tunc ense coruscat et hasta* M, *ferox enseque coruscat et asta* N pro *ensemque ferox hastamque coruscat.* 477 *pedibus simul et* M, *pedibus simul* N; *pedibus simul* igitur MN pro *pedibusque simul.* 611 *sasi* N, omisit M; *sasi* igitur MN pro *saxi.*

Ex iis quae exposui iam clare apparuit nec M nec N ex alterutro descriptum esse. Quod nos credere vetamur, quantum ad N attinet, ipsa codicum aetate, cum N paulo prius ortus sit quam frater. Atque re vera de fratribus agi quamquam multa comprobant, tamen sat habeo unum luculentissimum addere exemplum. Versum 92 enim non, ut Baehrens notavit, ambo post 96 perperam ponunt, sed N recte cum PW post 91, M post 96. Qua re evidens fit M non ex N originem duxisse; veri simile autem est hunc versum in archetypi communis margine lectum esse. Quomodo porro in describendo se gesserint M et N, edoceat conspectus mendorum, quae inveniuntur in vss. 1—300. M peccavit haec:

13 *victa (vitta),* 16 *agit (egit),* 22 *data (dona),* ibid. *profert (praefert),* 32 *voluisse (coluisse),* 56 *matri (patri),* 62 *contre-*

---

[1]) Fortasse in archetypo *amborum* mg. adscriptum erat.

muere (confremuere), 74 *reddit (reddat)*, 83 *undis (undas)*, 87 *capillis* m. 1 *(capillos)*, 98 *tantum ait ô (tantumque ait)*, 99 *deberet (debetur)*, 100 *utque mihi coniunx (ut mihi quae coniunx)*, 102 *revocare (renovare)*, 109 *divum (divi)*, 110 *thalamo (thalamos)*, ibid. omittit *quietis*, 112 *reges (requies)*, ibid. *manebat (tenebat)*, 114 *levissime (lenissime)*, 115 *argolicumque (argolicique)*, 118 *fugaret (fugarit)*, 119 *occupat (occupet)*, 120 *levibus (levibusque)*, 135 *ait (agit)*, 141 *tunc (tum)*, 144 *sollerti (sollertis)*, 146 *recordãt (-dans)*, 152 versum omittit, 157 *umbris (umbras)*, 170 *fructus (fluctus)*, 174 *ardet (ardor)*, 177 *gemana suet (gemina suorum)*, 186 *hii (bis)*, 191 *grais (graium)*, 199 *et magno (magno)*, 200 *belpenor (elpenor)*, 204 *at (et)*, 206 *phineos (phineus)*, 207 *centenis (undenis)*, 211 *atheneis (athenaeus)*, 214 *et (hi)*, 215 *prothesolaus (protesilaus)*, 216 *quod* (*quos* cet., *quot* recte), 216 *olenius (oileus)*, 217 *dabit (tulit)*, 223 *tum (cum)*, 224 *belasgos (pelasgos)*, 228 *classis (cassis)*, 233 omittit *forma*, 237 omittit *ferox*, 240 *ausiusque* (*ausius* N *asius* recte), 244 *nesteus* (*menesteus* N, *mnesteus* plurimi codd.), 253 *excidium (exitium)*, 260 *non (nunc)*, 272 *minis (nimis)*, 293 *cessisset (tessisset* N *texiss.* recte).

N vitiose scribit haec: 7 *pugnã (pugnas)*, 11 *infestam pestem regi (infestam regi pestem)*, 16 *vocibus (questibus)*, 37 *sic tibi sum gratus (si gratus tibi sum)*, 61 *invicti ducis (ducis invicti)*, 126 *merserit (se emerserit)*, 138 *patrias (patriasque)*, 153 *cideret (caderet)*, 160 *constructo (instructo)*, 162 *claros (clarosque)*, 168 *arthesilaus (arches.)*, 175 *totidem (totidemque)*, 179 *et pistropus (et epistr.)*, 183 *honeratas (ornatas)*, 196 ≡ *triptolomusque* (*tript.* cet., *Tlepolem.* recte), 212 *alpinor* (*alpius* M, *Thalpius* recte), 215 *podaces* (*podartes* M, *podarces* recte), 217 *natus (satus)*, 218 *metonta* (*mecheon* cet.), 226 *totã* m. 1 *(totamque)*, 231 *ornabat (ornabatque)*, 239 *pindarus (pandarus)*, 240 *fialtes (ephialtes)*, 242 *magnanimi (magnanimique)*, 244 *bonus in armis (bonus armis)*, 252 *namque (iamque)*, 287 *dixit (dixit et)*, 291 *ficxisset (fixisset)*, 293 *tessisset (texisset)*, 294 *iusta (iuxta)*, 296 *mucrone mucro (mucro mucrone)*.

Iam vides et M et N sat neglegenter in versibus pingendis

versatos esse. Quod vero N paulo fidelius archetypon repraesentare videtur, attendendum est eum aetate fratrem superare.

Ne autem nimium laboris in describendis codicibus MN impendisse arguar, pergo ad demonstrandum eorum pretium. Compluribus enim atque gravissimis locis, quibus soli cum PW verum reddunt, testantur se in altera totius memoriae familia sui iuris esse.

Sic PWMN versus dant 360 *occidit Antilochi rigido demersus in umbras*[1]) et 957 *hastam, quam manibus saevis* (*saevus* MN) *librabat Achilles,* qui in ceteris libris perierunt. Illo loco etiam E versum habet, sed m. 1 mg. adscriptum, hoc loco L, sed eo quem voluit Baehrens ordine, i. 957 ante 958, contra MN, ut ego vidi, recte cum PW v. 957 post 958 exhibent. Statuendum igitur est v. 957 in L primitus mg. additum fuisse et, cum textui insereretur, falsum in locum abiisse.

Haec iam satis probarent MN in altera classe contra omnes ceteros stare; accedunt autem alia. Sane cavendum est, ne argumentum v. 605, quem PWMN in textu dant, LV omittunt ceteri mg. addunt, gravius putetur, quoniam fieri potuit, ut in archetypo omnium praeter PW mg. adscriberetur atque a codicibus MN suo loco tribueretur, nec pluris duco vss. 446, ubi in PWMN *toantem,* in ceteris *toantum,* et 387, ubi in PMN *modo virtus,*[2]) in ceteris *virtus modo* legitur; sed quis est, qui bene observato v. 675 opinioni meae adstipulari recuset? Praestant enim hic PWMN *excussoque incautum proterit arcu,*[3]) R *excussoque in quantum p. a.,* ceteri *excussumque extento p. a.* (*excussoque* L, *exteto* B, *ex toto* EL). Ad hunc versum iam p. 16 breviter respexi, nunc adicio

---

[1]) Ideo videtur versus in parte codicum excidisse, quod librarius ab *imbres,* quod claudit v. 359, aberravit ad *umbras* in fine v. 360. [2]) *modo virtus* placet, qua verborum collocatione clarius fiat *virtus crescit* ἀπὸ κοινοῦ et ad *Troianis* et ad *Achivis* pertinere. [3]) cf. v. 119 *incautumque occupet hostem. Incautum* hic se gessisse Teucrum apparet, quod occupatur atque proteritur, quamquam Aiacis clipeo protectus erat. — Ad *excussoque* cf. Il. Θ 329 τόξον δέ οἱ ἔκπεσε χειρός.

me nullum totius carminis locum novisse, qui tam perspicue et luculenter fata libellorum detegat. Archetypon omnium continuit *excussoque inquautum,*[1]) quod PW et MN recte intellexerunt, pater ceterorum facillimo errore adulteravit in *inquantum,* cui nescio quis librarius, ut sensum efficeret, addidit glossam *extento.* Haec cum a codicibus FV adoptaretur, descripta est cum voce genuina ab eo, qui pinxit archetypon RELB;[2]) nec tamen integra mansit, cum appareat hos codices legisse omissa supra *e* virgula *exteto.* Quodni ita esset, omnino non intellegeretur, cur spreverit R *extento* aut cur EL coniecerint *ex toto.* Atque vestigium recti etiam aliud cernitur in R, quippe qui cum L *excussoque* retinuerit, quod ceteri studio sensus emendandi commutaverunt in *excussumque.*

Porro habent in v. 126 *se emerserit* PWM,[3]) N cum ceteris *se* omittit, v. 361 pro *Talysiades* MN *talesiades*, PWE *t(h)alestiades*, FV *thales ita des*, L *cadit sitades* (*cadit s* in ras.), B vers. omittit, 466 *animo* PWMN, *animis* (*animos* V, *animo* = B) cet.,[4]) 790 *insurgunt* PWMN, *assurgunt (ads.)* cet., 793 *fossas volvuntur in ipsas* PWMN, *fossa volvuntur in ipsa* cet. Huc pertinet etiam v. 300, ubi MN *rimabant*, ceteri glossam apertam *captabant* tradunt. Nam sequitur eum qui pinxit archetypon codd. MN, legisse *rimabant* ł *captabant,* quam lectionem ex fonte omnium[5]) in archetypon alterius classis descendisse necessarium est, unde MN rectum, ceteri falsum amplectebantur. Verum propius attingunt PWMN quam ceteri in v. 417, ubi pro *discerpta* illi *decerpta* hi *decepta* tradunt, nisi quod suppeditat L *de* = *ta* (suprascr. m. 2 *cerp,* atque sublucet in ras. littera *p*), E *discerta.* Sed in propatulo est lectionem codicis E ortam esse ex coniectura non ita clare pristinae scripturae adiecta, ut simili modo in v. 990 pro eo,

---

[1]) cf. p. 16. [2]) De cohaerentia horum codicum amplius egi p. 32 sqq. [3]) cf. Avien. Perieg. 126 *qua se lux Eoa emergit pelago*; locum Manili (V 198) affert Vollmer p. 479. [4]) *animis* fortasse interpolatum est ex Verg. Aen. VIII 256 *non tulit Alcides animis.* [5]) cf. archetypi glossam *nati* in v. 237 (*creti* FL, suprascr. M).

quod omnes codices dant, *direptum* (sic et M, *dira* [sic] N), solus E *discerptum* scripsit.[1])

Probabile igitur est MN alterius rami alteram stirpem constituere, quae coniectura statu codicis B confirmatur. Codex B enim, qui, ut infra demonstraturus sum,[2]) vitia communia et cum ELR contra MNFVG et cum FVG contra MNELR exhibet, nulla cum MN contra ELRFVG peccavit, ut concludere nos oporteat ELRFVBG ad unum archetypon redire idque alienum ab eo, ex quo fluxerunt MN.

Aliqua tamen extant, quae B et G, recentissimi codicum nostrorum, qui et interpolationibus et coniecturis deformati sunt, vera cum PWMN testantur. Sic concinunt PWMNB in vss. 279 *discedit* (*descendit* cet.), 284 *sint* (sunt cet., L *u* ex corr.), 381 *tempora* (*pectora* cet.),[3]) 838 *vulnera* (*funera* cet.);[4]) PWMNG in vss. 688 *mox hoste repulso* (*tamen h. r.* E, *atque h. r.* B, *sic h. r.* V, *hosteque repulso* FL), 929 *atque* (*aut* cet.),[5]) 937 *pertimuit* (*permetuit* cet.), 999 *altius* vel *alcius* (*altior* cet.).

Vix quisquam putabit casu quodam accidisse, ut haec quae protuli in PWMN servarentur, cum in ceteris perirent. Minus etiam suspicandum est illa ex PW in archetypon MN interpolata esse. Cuius rei nullum est indicium, obstat autem, ne ita credamus, locus gravissimus, qui clare ostendit ramum alterum bipertitum fuisse: in v. 465 pro *condit,* quod praestant PWV recte,[6]) exhibent *tegit* MN, *texit* ceteri. Atque luce clarius est primum in archetypo altero glossatoris manu fuisse *tegit,* quod integrum acceperunt MN, metri causa in *texit* transformatum pater ceterorum.

---

[1]) cf. Ov. Ep. XI 118 *diripient avidae viscera nostra ferae.* — *direptum* cum sequenti *diripient* anaphorae vim efficit; de crebro huius figurae usu v. ind. gramm. p. 60 sq. [2]) cf. p. 33 et 35. [3]) Hasta, quae desuper veniens per scapulas transit, tempora tangere nequit. cf. Hom. Il. Δ 528 βάλε δουρὶ στέρνον ὑπὲρ μαζοῖο. [4]) Fortasse B ipsos codd. PW adiit, quod probare videtur v. 434: *Eripides* P, *E[ripilus]* W (sublucent *d* et *s*), *Euripides* B pro ceterorum *Eurip(h)ilus.* [5]) Posito *aut* falsus fit sensus partem Troianorum, quid faceret dubiam ante muros remansisse partem urbem petivisse. [6]) V a PW pendere explanabo p. 41.

Adhuc igitur constat nos duos ramos unius archetypi habere: illum constituunt PW, hunc ceteri omnes, ita tamen, ut duae stirpes ab eo germinaverint, MN altera, altera ELRFVBG. Sic evadit optimum archetypi reconstruendi adiumentum, cuius ipsius apparent lectiones, sive cum MN sive cum ceteris concinunt PW.

Vix autem credibile est MN contra ceteros omnes quidquam veri suppeditare, quin alio modo possit explicari. Sic, ut exempla ponam, coniectura facillima effectum est quod probum dant in vss. 519 *concidit* MNB (*condidit* cet.), 696 *tarde* MNG (*tardis* cet.), 1006 *ter* MN (*tunc* cet.).[1]) Quae cum ita sint, etiam v. 827 a, quem soli ad explendam lacunam praebent MN, quamquam a sensu loci non abhorret, archetypo omnium non vindicabimus, nisi forte eum mg. adscriptum atque bis praetermissum arbitramur.

Perspecto conexu trium quas deteximus classium absolutum est, quidquid ex sola historia traditionis in usum verborum carminis recuperandorum efficere licebat; incitat tamen, ut altius in fata singulorum librorum inquiramus, quaestio illa, quonam affinitatis gradu a patre communi descenderint ceteri in quibus adhuc carminis recensio maxime posita fuit memoriae praedes. Quorum una tractandi sunt BELR, una FGV; spero enim fore, ut iterum duae unius rami stirpes agnoscantur.

Codex B Musei Brittanici Add. 15601 saeculi XII[1]/XIII[1] continet Homeri Latini in fine truncati vss. 1—882 in fol. 102—108.

Codex E Erfurtanus Amplon. n° 20 XII[1] saeculi est; de eo egit Ritschl opusc. III. p. 842 sqq., conlationem dedit Th. Krafft in programmate Norimbergensi 1874.

---

[1]) cf. Hom. Il. Ω 16 τρὶς δ' ἐρύσας περὶ σῆμα (sc. Ἕκτορα). Hic vero fortasse codices ut in initio versus bis peccaverunt. cf. et v. 349: *tremebundus* MNE, *gemeb.* cet.; illud ut accipiamus suadet Hom. Il. Δ 150 ῥίγησεν δὲ καὶ αὐτὸς ἀρηίφιλος Μενέλαος. — Item compluries a singulis codicibus erratum est in v. 774 propter synizesin.

Codex L Leidensis Voss. L. O. 89 saec. XII exhibet Iliadem Latinam fol. 29—57. Conlationem in publicum edidit L. Mueller (Fleckeis. ann. a. 1862 p. 729 sqq.). Codices BEL etiam a se ipso excussos esse affirmat Baehrens.

Codex R[1]) Ratisbonensis, qui olim in Monasterio Superiore erat nunc in bibliotheca Proskiana servatur, XI¹ saeculi est. Quem fusius descripsit Jos. Stiglmayr (cf. l. l. in prooemio). Atque cum R vetustior sit quam BEL, nunc maxime dolendum est eum non plus tertiam carminis partem exhibere et haec quidem:

vss. 497—586 p. 1—6
648—906 p. 7—24.

Is autem est status huius libri, ut certissime aliquid de vinculo quo cum EL et B iunctus sit enucleari possit. Haec enim sunt, quae cum EL peccavit: 521 *in bella subit funestaque proelia* ER, = *bella* = = = *funestaque proelia* L pro *bellum funestaque proelia,* 692 *ferre accepit* E, *ferre cepit* L, *fere cepit* R, pro *referre cupit* (*ref. capit* B v. infra), 785 *exmanat* LR, *manat* = E pro *et manat,* 807 *provocat* E (corr. m. 1) LR pro *provolat,* 864 *sed* ER, omittit L pro *et,* 896 *sed enim non* ELR (L *et* pro *sed*) pro *sed non cum.* Praeterea R nunc cum E, nunc cum L gravissimas corruptelas tradit (v. infra), ut unius familiae esse ELR luce clarius sit.[2])

Sed quomodo inter se cohaereant, si quaeritur, hoc respondeo neque E neque L ex codice antiquiore R deductos esse. R enim, cum neglegentissime exemplar suum sequeretur, permulta pessumdedit,[3]) quae bona in E et L servata sunt. Omisit exempli causa vss. 545, 725, 828, quos suo loco dant EL. Itaque aut ex communi fonte aeque emanaverunt ELR aut duo contra tertium nexi sunt. Atque conspectus mendorum suadet, ut EL unius stirpis esse censeamus. Gravissimae enim in iis cernuntur interpolationes, quibus R caret. Sic: v. 675 *ex toto*

---

[1]) Stiglmayr P signavit propter codicem R Burmannianum Plessisii, qui nihil valet. [2]) Nota v. 873 ELR solos cum PW praestare. cf. p. 39. [3]) v. Stiglmayr l. l. p. 33 sqq.

EL pro *exteto (extento), inquantum* R,[1]) 726 *consilium priami remque omnem ex ordine* E, *cons. vobis priami totum remque ordine* L, *cons. vobis priami remque ordine* R, *cons. priami vobis remque ordine* BMN, *cons. priami regis remque ordine* PWFGV recte. Primo obtutu elucet in archetypo codicum alterius classis glossam *vobis*[2]) infuisse, quae nonnullorum textum invasit. Pater codicum EL addidit praeterea *totam,* quod L metri securus in textum recepit, E adulteratum in *omnem* sed neglecta altera glossa *nobis.*[3]) Aliquid valent etiam haec: 671 *spargit* (*que* add. m. 1) E, *sparsit* L, *spargitque* R recte, 700 *sublustr(a)e* E, *sublustre* L, *sublustri* R recte, 716 *quod si* ≡ E, sic (omittit *quod*) L, *quod si* recte R, 869 *exoriatur* EL (corr. in L m. 1), *exoreretur* recte R (*exoriretur* cet.).

Nihil detrahunt menda, quae una in LR inveniuntur, hoc solum probant E manum correctricem passum esse. Sunt autem haec: 534 *cedi* ≡ L, *cedis* R (*caedit* E), 664 *languentes* LR (*languentesque* E), 692 *ferre cepit* L, *fere cepit* R (*ferre accepit* E pro *referre cupit*), 712 *fidi* L, *fidis* R (*fidens* E), 737 *suscipit* LR (*accipit* E), 741 *luxit terra* LR (*lux exorta* E), 779 *ubi* LR (*ubique* E), 905 *cedens* L, *sedens* R (*sitiens* E). Nec desunt communia inter E et R: 523 *Sriptolemus* ER (*Stript.* L), 566 *hector* ERMN[4]) (*heros* L), 869 *quantus* (*s* suppuncta et virgula supra *u* E) ERG (*quantum* L), 883 *modulantur* ER (*modulatur* L).

Ad hanc quam statuimus codicum ELR familiam etiam B pertinere pauca at luculenta exempla evincunt. Praebent enim v. 369 (R deficit) *cadit ictus* EL (*cinctus* E), *tunc ictus* B, *transfixit* ceteri recte,[5]) 521 glossa *subiit* item atque in ELR in-

---

[1]) v. p. 29 sq. [2]) Haec, ut esset, quo spectaret *expediam.* [3]) Dolendum est R non adesse in vss. 222 et 327. Illic enim EL, cum offenderent in usu intransitivo verbi *appellere,* coniecturam tentaverunt *citam—classem* pro *citae—classes,* hic tradit E *tibi suasit contendere,* L *tibi contendere suasit,* cum ceteri alterius familiae pro *te contendere iussit* (sic PW) suppeditent lectionem *tibi contendere iussit.* Ipse verborum ordo in E et L docet *suasit* ex glossa ortum esse. [4]) *hector* ex glossemate. [5]) Lege v. 369 sic: *inque hostem cecidit* (sc. telum) *transfixit et inguina Leucon.* Acc. *Leucon* secundum Hom. Il. Δ 491.

repsit textum codicis B, ita tamen ut metri causa antecedens *in bella* exciderit. Duo loci comprobant B ad patrem codicum ELR redire: Tradunt in v. 675 *exteto* B, *ex toto* EL, *inquantum* R — de lectione archetypi compara p. 30 — et 692 *referre capit* B, *ferre* (*fere* R) *cepit* LR *ferre accepit* E pro *referre cupit.* Aliquid ponderis habet etiam v. 766, ubi PW[1] recte *puppesque,* L *pubesque,* R *postesque,* ceteri *turresque* dant, B verbo omnino caret. Haec evidenter ostendunt, quomodo orta sit in parte alterius classis lectio *turresque.* Videtur enim iam in patre eius *puppesque* corruptum fuisse in *pubesque,* et cum MN et FV coniecturas temptarent, parens aut abavus codicum BELR scripturam archetypi retinuit, quam, cum non intellegerent, R mutavit in *postesque,* B omisit, E interpolatione eadem qua MNFV sustulit. Ex glossa factum est quod legitur in BR v. 753: *simul cum vulnere* pro *ferox cum vulnere.*

B autem ad vetustiorem memoriae praedem recedere quam ELR apparet eo, quod multis peccatis cum FVG conspirat, quae iam in aliis suae stirpis codicibus coniecturis aut interpolationibus deleta sunt: v. 430 *pro funere* BFV, *post funera* cet. (item in v. 518), 764 *ponunt* BGFV, *poscunt* cet.; accedunt graviora: 509 *contendere* F, *contondere* B pro *tendere,* 600 *magno implentur sic murmure* FB (V *sic* m. 2 supra lin.); pro *sic* apparet in E *quoque,* in L *que,* in MN *tum,* quae discrepantiae documento sunt in archetypo alterius classis *que* post *magno,* quo pertinet (cf. PW), excidisse. Cum VG convenit B in v. 93, ubi glossam *dixit* in textu dant BGV; 315 *arripit* BV (*eripit* cet.), 603 *petivit* BV (*patebat* cet.), 610 *nec iam* BV (*iam nec* cet.), 775 *procumbit* BG (*occumbit* cet.).

Ex hac mendorum enumeratione satis perspicuum fit, quam licenter in altera alterius classis stirpe librarii, correctores, interpolatores se gesserint. Nam post ea, quae de consanguinitate codd. BELR disputavimus, nemo negabit de archetypi depravatione constare, cum vitiis concinunt B aut E aut L aut R cum FVG. Cuius rei illustrandae unum adnoto exemplum: v. 910 *sanguine* e v. superiore sumptum praebent E et V *corpora* LFG recte cum ceteris. Addubitari igitur nequit,

quin iam pater familiae ELFVG peccati particeps fuerit.[1]) Vides quam non fidendum sit probis lectionibus singulorum codicum.

Sed ne quid praetermisisse videar, paulisper remorandum est in eo codice, qui adhuc falsa auctoritate maxime floruit, sc. in Erfurtano.[2]) Quantum studii hic in retractandis versibus posuerit, discitur ex interpolationibus innumeris, quibus foedatus est. Graviora[3]) nunc proferam:

Totum versum interpolavit post 902; v. 605 in margine habet atque eius vice in textu interpolatum, unde iure concludes versum in margine ex alio exemplari additum esse, postquam iam lacuna in textu expleta sit. Hoc igitur monstrat patrem E bis manum correctricem subiisse, primum eius, qui suo Marte coniecturas temptavit, deinde alterius, qui Erfurtanum cum codice sinceriore fortasse familiae PW[4]) contulit. Verba interpolationibus deformata sunt in vss.

31 *aras* (ł *aures* m. 1) pro *aures,* 98 *tandemque* pro *tantumque,* 160 *armato* pro *instructo,* 163 *nomina* pro *munera,* 177 *suorum est* pro *suorum,* 181 *grandia* pro *longaque,* 199 *a magno* pro *magno,* 214 *naves* pro *puppes,* 217 *dat in arma carinas* pro *tulit arma carinis,* 292 *vasti ferrea pectus achivi* pro *vastum ferrea pectus,* 366 *maximus* pro *magnis,* 369 *cadit cinctus* pro *cadit ictus* (sic arch. BEL(R); cf. p. 34), 533 *saxa* pro *sancta,* 552 *prelia quem contra non equis viribus audet* pro *quem contra infelix non aequis dimicat armis,* 563 *iungunt* pro *linquunt* (*lincunt* L), 575 *bellum* pro *acies,* 615 *in arma* pro *ad arma,* 609 *adversum* pro *in pugnam* (sic codd., *inpugnans* recte), 623 *conferre* (corr. metri gratia) pro *referre* (sic altera classis), 628 *falcato* pro *aurato* (corr. E, ut vitaret hiatum), 630 *miro* pro *vario,* 678 *inviso* pro *inversa,* 688 *tamen hoste repulso* pro *mox hoste repulso* (sic PWMNB) 702 *habeant* pro *parent,* 710 *troianus iuvenis* pro *Troius eumenides,* 736 *quidem* pro *iterum,*

---

[1]) cf. etiam v. 304, ubi habent FVL *percussit* pro *percussus.*
[2]) cf. Ritschl, Rh. Mus. 1 p. 137 (1842), Baehrens p. 6, Ehwald l. l. p. 55.
[3]) Non respexi correctiones manuum recentiorum.
[4]) cf. vestigia veri in E v. 84.

788 *promachumque quoque sternit* pro *promachumque sternit* (sic. codd.), 927 *bellantum* pro *bellando* (*pugnando* L), 797 *ad naves* pro *ante rates,* 804 *sudor per fessos* pro *per vastos sudor,* 890 *post quem diva potens* pro *quem diva poesis,* 892 *armis* pro *donis,* 896 *concurrit forte* pro *occurritque viro,* 921 *admonuit* pro *asseruit,* 921 *tandem quod* pro *qua* (sic L, *quia* plurimi codd.), 957 *interea validam thetideius extulit hastam,*[1]) 1003 *tristi* pro *mesto,* 1049 *consequitur traduntur* pro *quadrupedes adduntur* (*quadrupedes advitur ped* [*ped* suppunctum] L), 1037 *concede labores* (corr., ut vitaret hiatum) pro *concede honores* (*concedere* PWGL et sic, ut vid., arch.).

Certe doctior quidam et in lingua Latina versatior his interpolationibus operam dedit, quippe quem tribus locis (623, 628, 1037) metri causa in verbis traditis offendere cernamus. Itaque mirandum non est nonnulla solum E proba exhibere.[2])

Contra L in describendo exemplari rarius corrigendi studium posuit, sed nimis fideliter interdum, praesertim in fine carminis, ea quae non intellexit pinxit ut haec: 676 *rapitur* pro *rapiunt,* 752 *fatum* pro *natum,* 759 *exausto et factis* pro *exhaustis et vastis,* 785 *infacta eruorē* pro *infecta eruore,* 823 *illiscilet sternitque* pro *ille silet spernitque,* 832 *denudat utrum* pro *denudatque virum,* 847 *poperatus* pro *prostratus,* 905 *cedens* pro *sedens* (sic R, *sitiens* E recte), 959 *propter lassam* pro *praeterlapsam,* 1023 *abitum—vitte* pro *oblitum—vitae,* 1029 *o mi regnis inimices dm̃eis* pro *o regnis inimice meis,* 1036 *conabor* pro *comitabor,* 1042 *duum tu* pro *ducum tu respice casus,* 1043 *precibus mores* pro *precibus motus,* 1053 *aptumpurit* pro *abrumpunt.* Haec exempla facile possunt duplicari. Hic illic glossae textum occupaverunt ut in vss. 17 *plangore* pro *maerore,* 817 *haec verba increpans* pro *haec increpat* (sic ERF, *hunc increpat* cet.), 835 *detulit* pro *detrahit,* 927 *pugnando* pro *bellando* (*bellantum* E), 978 *maerent* pro *deflent,* 1018 *a* pro *de.* Eo igitur adducimur, ut L archetypon codd. EL melius reddere iudicemus quam

---

[1]) Versus interpolatus, cum alterum alterius familiae archetypon lacunosum esset; cf. p. 29. [2]) quae attuli p. 11 sq. (cf. et p. 34).

fratrem eius Erfurtanum. Quodsi ita se habet, L etiam in patre ELR restituendo praevalere oportet. Atque supra vidimus L cum R multa insignia menda tradere, quae iam sublata sunt in E. Interdum L solus cum PW verum vel vestigia veri servavit ut in v. 766 (*pubesque*) et in v. 1010, ubi dant pro *astus* PWL *(h)astur*, ceteri *astu*, nimirum cum cuivis librario praesto esset *astu* supponere.

Fortasse etiam compluries peccatum est contra L in v. 1059, ubi omnes ceteri *suorum* (sc. *comitum*) pro *suarum* committunt et 646 contra EL[1], solos recte *confusa caede* proferentes pro ceterorum *confusi caede.*[1]) Vix autem probabile est ea, quae praeter haec solus E aut L aut una EL bona praestant, ex communi archetypo fluxisse: obstat consensus codicis B cum FVG, codicum MN cum BFVG, codicum PW cum MNBFVG. Partem maximam eorum p. 11 sq. adnotavi, neque ulla inveniuntur, quae non ex ingenio suo correctores sollertia quadam praediti elicere potuerint. Quod vero ad nomina propria attinet, quae in vss. 218 (*podalirius, machaon*), 241 (*nactesque* E, *nactisque* L, *nastesque* recte), 704 (*dolon*), 1011 (*epeos*) in solis codicibus EL recte leguntur, dubium esse nequit, quin ex Darete, apud homines medii quod dicunt aevi pervulgato, hausta sint.[2]) Quid, quod in PWEL solis libri I—XXIV numerantur expresse additis plerumque formulis *explicit liber, incipit liber?* Nihil

---

[1]) cf. Verg. Aen. XI 207 *cetera confusaeque ingentem caedis acervum . . . cremant.* De ablativo loci nude posito v. ind. gramm. p. 51.
[2]) Librum Daretis de bello Troiano cum Homero Latino in usum scholarum conserere solebant. Sic codices vetustiores PWF uno volumine comprehendunt Iliadem Latinam et Daretis caput *Pugnatum est apud Troiam* eqs. Hoc etiam sequitur fragmentum quoddam Bruxellense Homeri Latini continens vss. 1048—1058 et 1064—1070, quod accuratius descripsit atque A signavit Vollmer l. l. p. 477. Addo praeterea locum, quem investigavi in M.G. Script. VII (Chron. Mon. Casinensis ed. Wattenbach p. 746, 70): codices . . . *describi praecepit Desiderius: . . . historiam Cornelii* (i. Daretis; cf. Cat. codd. Corbei. op. Aug. Mai V p. 13 *Cornelii liber de bello Troiano*) *cum Omero.* (Error fortasse inde natus est quod Corneli Taciti vel Nepotis nomen ob animum versabatur librariis; cf. Dares ed. Meister p. V cod. Reg. lat. 905.)

sane valet, quod culpa rubricatorum munere minus diligenter functorum numeri hic illic exciderunt. Nam ii quos equidem inspexi, codices MN, semper lacunis vel initialibus insignibus iusto loco finem vel initium librorum indicant.[1])

Unus restat locus, de quo aliquid addendum esse mihi videtur, i. v. 873. Hunc soli habent PWELR, omittunt ceteri. Tamen non est verendum, ne nunc certamen existat de principatu alterius familiae inter ELR et MN, immo nihil remanet difficultatis, si reputamus hunc ipsum versum in omnibus codicibus falso adesse etiam post 863. Quid mirum, si homines offenderunt in repetitione atque altero loco versum omiserunt praesertim in descriptione scuti Achillis, quae, ut depravatio huius ipsius partis edocet, prae ceteris carminis partibus lectitabatur?

Iam spero neminem esse, qui adhuc auctoritatem codd. EL defendere audeat. An infitiaris fieri potuisse, ut hi libri per duo saecula — tanto enim distant a codd. PW — quibus in scholis terebantur, interpolationibus, correctionibus, rasuris, additamentis ab antiquo statu plane recederent, ita ut quasi obsoleta eorum vestis speciem recentis acciperet? Finge patrem vel avum codicum E et L similem correctorem passum esse, atque is est, qui etiam nunc innumeris locis in utroque codice[2]) emendans, eradens, restituens cernitur, id quod post ea, quae duobus saeculis ante in codicibus PW, post ea, quae in ipso omnium archetypo inveniuntur, ita in unoquoque ceterorum libro accidisse veri simillimum est, quae

---

[1]) Adnoto hic codicum omnium consensum in declarando fine libri VI post 563. Quem nullo iure Baehrens suspectum habuit. Nam cum in aliis Homericis summa cum licentia se gessit epitomator, tum in fine Iliadis neglecto omnino libro XIX (Μήνιδος ἀπόρρησις) atque disperso in duos Homeri libro XXII, ut hic sit conspectus:

Il. Lat.	Hom.
l. XVIII —	XVIII
XIX —	XX
XX —	XXI
XXI —	} XXII
XXII —	} XXII

[2]) m. 1 Baehrensii.

erat poematis gratia atque usus in scholis — finge hoc, nihil audacius me posuisse consenties.

Restant ex altera alterius classis stirpe codices FVG, quos iterum proxime cognatos esse contendo.

Cod. F Florentinus Laurent. plut. 68, 24 saeculi XI[1] est. Conferatur de eo Schenkl (Zeitschrift f. d. österr. Gymn. XXVI (1875) p. 243 sqq.). F exhibet: Aratorem, Avienum, Homerum (fol. 55—74), Persium praevio prologo.[1])

Cod. V Venetus Bessar. 497 saeculi XII[1] continet epitomen fol. 59—65. Contulit librum Baehrens.

Cod. G Guelferbytanus Extr. 301 saeculi XII[1]/XIII[1] est. Desunt in epitoma, quae extat fol. 17—29, vss. 182—625. Codicem primus adhibuit Wernsdorfius, contulit Baehrens.

Codices FV ex uno patre natos esse[2]) testantur hi loci: v. 325 *discideret* FV pro *discuteret*, 778 *umbra* FV pro *umbras*, 610 *cretum* FV pro *creatum*, 992 *tristemque* FV pro *tristem*, 1037 *vitamque* FV pro *vitam*, ibid. *cede* FV pro *concedere* (*concede*). Accedunt graviora: 991 *meis te absumere malis* FVN pro *meis absumere malis*, 1018 *scindens* MFV pro *scindit*. v. 991 duas explicandi rationes praebet: aut glossa *te*, postquam textum alterius archetypi invasit, a nonnullis in describendo deleta est aut, quod equidem malim, et in archetypon MN et in patrem ceterorum ex communi fonte transiit suprascripta, unde in N et FV descendit. Aliter res se habere videtur in v. 1018, ubi bis idem peccatum commissum esse censeo potissimum ea de causa, quod similiter in v. 331 MNV *profundens* pro *perfudit* (*perfundit*) tradunt. Quo loco causa mutandi certissime ea fuit, quod sequitur oratio Paridis, ad quem etiam antecedentia pertinere rati librarii sic, ut asyn-

---

[1]) Adnoto etiam in P Persium Iliadem Latinam sequi. [2]) Non ex vetustiore F fluxit V, id quod ostendunt cum alia tum haec, quae quamquam a sensu non ita abhorrent, in solo codice F leguntur: 473 ad praelia mittit (ad bella reducit), 484 cunctaque (densaque), 487 simul (atque), 541 ducant avidi (vi deducant), 811 ingentem (-ti).


deton tollerent, scripserunt: *dixit, tum largis profundens* (pro *perfundens*) *fletibus ora tristis Alexander . . . ait.* Item fortasse altero loco verba Andromachae se audire sentiebant atque iunxerunt: *Andromacheque suas scindens de pectore vestes: heu tanto spoliata viro!* (sc. ait.)

Quamquam autem FV suam sibi fidem poscunt contra alteram suae familiae stirpem, tamen cavendum est, ne fides iis habeatur, ubi soli cum PW conveniunt. Nam cum consensus codicum MN cum BELR certissime lectionem alterius archetypi reddat, nihil restat, nisi ut his locis FV secundum PW interpolati habeantur. Quae conclusio adeo non statu codd. FV refellitur, ut confirmetur atque desideretur. Cuius rei haec sunt argumenta: in v. 967 dant PW recte *stantemque aeacidem,* ceteri omnes *instantem aeacidem,* V solus contra rem metricam *instantemque aeacidem,* v. 984 PW recte *munere victus* et ita etiam GV, ceteri *vulnere victi* praeter F, qui mixta utraque scriptura *munere victi* habet. Praeterea, quae ceteri non respuissent, si in archetypo alterius rami fuissent, perperam cum PW reddunt FVG v. 908 *pugnatur* (glossa) pro *bellatur,* FV 929 *inter* pro *intra,* 941 *ille* pro *ipse,* VG 1032 *afflictis* pro *afflicti,* FG 1066 *tenens* pro *tenet,* F 940 *rursus* pro *cursu.* Difficultatem aliquam parare videtur v. 1020: pro *ruit hoc defensa* traditur in PWV *fuit hoc defensa,* in F *ruit et defensa,* in ceteris *cecidit defessa.* Atque nemo negabit codicem F propius ad sententiam loci accedere quam ceteri omnes. Tamen potius credam eum suo Marte coniecturam fecisse secundum id, quod ex PW interpolatum invenit, quam ullum vestigium veri in archetypo alterius classis restitisse.

Codicem G, recentissimum omnium, vix pro certo alicui familiae alterius stirpis addicas. Postquam vero eum hic illic cum F et V interpolationibus conspirare vidimus, afferantur et alia menda, quibus pariter atque illi foedatus est: cum FV: v. 151 *inde* pro *deinde,* 675 *extento* pro *incautum* (*ex toto* EL, *ex teto* B); cum F: v. 840 *refert* pro *fert* (*tulit* M, *ferunt* cet. alterius archetypi ex glossemate *fert* pro *gerit*), 915 *impediatur* pro *expediatur,* 958 *emissam hastam* F, *emisit–hastam* G, *emissam*

egit cet.; cum V: 51 *casus* pro *causas,* 719 *promittit* pro *promisit,* 1033 *plaudunt* pro *plangunt,* 1058 *in,* omittunt cet. Hoc igitur mendorum conspectu iure concluditur G recurrere ad archetypon illud, ex quo depicti sunt FV. Atque cum alia FVG, alia FG, alia VG communia proferant, veri simile est eodem affinitatis gradu tres codices ex communi exemplari descendisse. Certius non licet ferre arbitrium, quoniam G dimidia fere totius carminis parte abscissa nimis truncatus atque ut recentissimus codicum nostrorum per tempora ab antiquo statu plane remotus est. Hoc elucet ex vitiis, quae cum singulis reliquarum classium libellis tradit. Exempla ut ponam: 38 *si quid ut* NG pro *si qua,* 137 *lingua* ≡ ≡ E, *linguave* G pro nec *lingua,* 625 *recordat* LG pro *recordans,* 755 *procumbit* BG pro *occumbit,* 835 *detulit* L, *detulit* (suprascr. *detrahit*) G pro *detrahit,* 890 *potens* EG pro *poesis,* ibid. *atropos* in textu exhibent RG, mg. MN, omittunt ceteri.

Sed ut tandem ad fructum laboris decerpendum curramus, secundum hoc stemma verba poetae recuperanda sunt:



Appendix.

De imitatione Vergili et Ovidi.

Epitomator quatenus a Vergilio et Ovidio pendeat, iam aliqua ex parte in notis editionis monstravit Wernsdorf. Liceat tamen mihi, similitudinum ea exempla, quae illum fugerunt, hic proferre[1]):
cf. ad vss. 22 Verg. Aen. XI 249 *munera praeferimus.* 40 Aen. IX 427 *in me convertite ferrum.* 93 Georg IV 531 *licet tristis animo deponere curas.* 94 Aen. IV 115 *mecum erit iste labor.* Aen. II 708 *nec me labor iste gravabit.* 95 Aen. I 197 *maerentia pectora mulcet.* 96 Aen. XI 595 *dixit; at illa levis caeli delapsa per auras . . . insonuit.* Ov. Met. XIV 597 *perque leves auras . . . invecta . . . litus adit Laurens.* 103 Met. II 285 *hosne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem officiique refers.* 111 Verg. Aen. III 147 *nox erat et terris animalia somnus habebat.* 117 Aen. IV 118 *ubi primos crastinus ortus extulerit Titan.* 129 Ov. Met. XIV 231 sq. *isse retro per quas modo venerat undas Aeoliique ratem portus repetisse tyranni.* 114 Ov. Met. V 41 *tum vero indomitas ardescit vulgus in iras telaque coniciunt.* 147 Met. XIV 204 *mentique haerebat imago temporis illius, quo vidi . . .* 154 Verg. Aen. II 130 *adsensere omnes.* 173 Aen. II 20 *armato milite complent.* 217 Ov. Met. IX 233 *Poeante satum.* 236 Verg. Aen. VI 322 (Aeneas) *deum . . . certissima proles.* 250 Aen. II 625 *Neptunia Troia.* 254 Aen. XII 324 *Turnus ut Aenean cedentem ex agmine vidit.* 262 Ov. Ep. XVI 359 *paene puer iuvenes vario certamine vici* (sc. Paris). 267 Verg. Aen. XI 115 sqq. *aequius fuerat . . . decuit concurrere telis.* 311 Aen. IX 759 *si . . . victorem ea cura subisset . . ., ultimus ille dies bello gentique fuisset.* 325 sq. Ov. Met. III 100 *ille . . . pariter cum mente colorem perdiderat.* Ep. XI 27 *fugerat ore color, macies adduxerat artus.* 328 Verg. Aen. II 81 *fando aliquod si forte tuas pervenit ad*

---

[1]) cf. et illa, quae, cum de stemmate codicum agerem, in singulis locis tractandis sub contextu attuli.

auris. 347 Aen. V 840 *te, Palinure, petens.* 379 Ov. Met. XII 143 *victum spoliare parabat: arma relicta videt.* 394 Met. III 101 *ecce viri fautrix, superas delapsa per auras, Pallas adest.* 412 Met. V 133 sq. *quem postquam . . . singultantem animam et versantem lumina vidit.* 426 Verg. Aen. X 380 *obvius huic primum, fatis adductus iniquis, fit Lagus.* 439 Verg. Aen. VII 497 *Ascanius curvo derexit spicula cornu.* Ov. Met. XII 606 *certaque letifera derexit spicula dextra.* 439 sqq. Met. VIII 380 sqq. *celerem Tegaea sagittam imposuit nervo sinuatoque expulit arcu. fixa sub aure feri summum destrinxit harundo corpus et exiguo rubefecit sanguine setas.* 440 Met. X 526 *inscius exstanti destrinxit harundine pectus.* 441 Verg. Aen. V 172 *tum vero exarsit iuveni dolor.* 453 Aen. X 415 *saxo ferit ora Thoantis, ossaque dispersit cerebro permixta cruento.* 462 Ov. Met. III 59 *dextraque molarem sustulit et magnum magno conamine misit.* 478 Ov. Met. IX 102 *volucri traiectum terga sagitta.* 480 Verg. Aen. IX 770 *huic uno deiectum comminus ictu cum galea longe iacuit caput* (cf. Sil. XIII 246). 501 Aen. III 220 *laeta boum passim campis armenta videmus . . . per herbas.* 509 Aen. IV 304 *tandem his Aenean (compellat vocibus ultro).* 510 Aen. X 715 *est animus stricto concurrere ferro.* 515 Aen. II 532 *concidit ac multo vitam cum sanguine fudit.* Ov. Met. II 610 *et pariter vitam cum sanguisse fudit.* 516 Met. XII 128 *curru fremebundus ab alto desilit.* 540 Verg. Aen. II 57 *ecce manus iuvenem interea post terga revinctum . . . trahebant.* 548 Aen. I 479 *interea ad templum non aequae Palladis ibant crinibus Iliades passis.* 550 Aen. VI 39, VIII 544 (IV 57, V 96 Wernsdorf). 556 Ov. Met. XII 341 *saxum . . . mittere conatur: mittentem . . . occupat Aegides.* 557 Met. V 13 *quae te, germane, furentem mens agit in facinus?* Ep. XVI 123 '*quo ruis*' *exclamat.* 559 Verg. Aen. XI 277 *et Veneris violavi vulnere dextram* (sc. Diomedes). 562 Aen. VIII 639 *post idem inter se posito certamine reges.* 571 Ov. Met. XI 63 *cupidisque amplectitur ulnis.* 591 Verg. Aen. XI 748 *et partes rimatur apertas, qua vulnus letale ferat.* 595 Aen. IX 464 *variisque acuunt rumoribus iras.*

Aen. XII 590 *magnisque acuunt stridoribus iras.* Ov. Met. II 175 *sumpsitque novas fervoribus iras.* 615 sqq. Verg. Aen. XI 913 *ineant pugnas . . ., ni roseus fessos iam gurgite Phoebus Hibero tinguat equos noctemque die labente reducat.* 623 Aen. IV 11 *sese ore ferens* (V 372). 633 Ov. Met. XII 155 *et corpora tosta carne replent vinoque levant curasque sitimque.* 634 Met. VI 489 *hinc placido dantur sua corpora somno.* 647 Verg. Aen. VI 215 *ingentem struxere pyram.* XI 204 *innumeras struxere pyras.* 655 Aen. XII 861 *postquam acies videt Iliacas.* 656 sqq. Aen. XII 725 *Juppiter ipse duas aequato examine lances sustinet et fata inponit diversa duorum, quem damnet labor et quo vergat pondere letum.* 686 Ov. Met. VII 426 *attonitus . . . discrimine parvo.* 701 Verg. Aen. II 75 *memoret, quae sit fiducia capto.* 731 Aen. IX 316 *somno vinoque per herbam corpora fusa vident.* 732 Aen. IX 242 *ingenti caede peracta.* 772 Aen. V 640, IX 764 (XI 71) *animumque ministrat* versum claudit. 798 Aen IX 71 *incendia poscit.* 804 Aen. II 173 *salsusque per artus sudor iit.* 814 Aen. X 721 *hunc ubi miscentem longe media agmina vidit.* 842 Aen. III 308, IX 475 (XI 819) *calor ossa reliquit.* Ov. Met. VI 601 *ut sensit . . . horruit infelix totoque expalluit ore.* VII 135 *utque . . . vidit . . . palluit et subito sine sanguine frigida sedit.* 852 sq. Verg. Aen. IX 422 *calido . . . sanguine poenas persolves.* 862 Aen. VIII 628 *illic . . . fecerat Ignipotens.* 864 Ov. Met. XIII 291 *neque enim clipei* (sc. Achillei) *caelamina novit* (sc. Aiax) *Oceanum et terras cumque alto sidera caelo* (*oceanum terris* . . . codd. Hom. Lat.!). 869 Ov. Met. XV 189 *albo Lucifer exit equo.* 869 Ov. Fast. VI 474 *et vigil Eois Lucifer exit equis* (cf. Tib. I 9, 62). 873 Verg. Aen. VIII 630 *fecerat et* (cf. l. l. ad v. 862). 896 Aen. XII 149 *nunc iuvenem inparibus video concurrere fatis.* 928 Aen. IX 756 *diffugiunt versi trepida formidine Troes.* 970 Ov. Met. II 446 *sensit abesse dolos.* Verg. Aen. I 666 *et supplex tua numina posco.* 986 Ov. Met. II 293 *quodsi nec fratris nec te mea gratia tangit, at caeli miserere tui.* 1018 Met. VII 848 *scissaque a pectore veste.* 1019 Met. III 715 *ruit omnis in unum turba furens.*

1025 Verg. Aen. VIII 161 *mirabarque duces Teucros mirabar et ipse Laomedontiaden.* 1057 Ov. Met. VI 248 *laniataque pectora plangens advolat.* 1059 Met. VI 594 *turba . . . suarum.* 1062 Met. VIII 524 *inque leves abiit paulatim spiritus auras.* 1063 Verg. Aen. II 619 *finemque inpone labori.* 1068 sq. Ov. Fast. I 711 *frondibus Actiacis comptos redimita capillos pax ades.*

Laurentius Veronensis imitator Homeri Latini.

Qua gratia floruit Homerus Latinus in scholis medii quod dicitur aevi, mirum non est vestigia eius cum alia tum apud auctores carminum apparere. Partem eorum, quae spectat ad tempora ante ipsos codices Homeri Latini manu scriptos supra p. 6 sq. attuli, nunc adicio alteram, quae, paulo postquam archetypon prodiit, apparent apud Laurentium Veronensem diaconum.[1]) Hic enim de bello Maioricano annis 1114—1115 gesto libros conscripsit septem.[2]) Quod poema anno 1119 ortum esse constat. Praeter locos, quibus Hectorem, Achivos cett. commemorat, similitudines graviores sunt hae: in libro I: *sua vela retorsit ad . . .* (Hom. 67), *stringunt regidos totis conatibus enses* (cf. Hom. 590, 829), *lecta placet cunctis* (cf. Hom. 640). in libro II: *in proelia vires* (Hom. 102 v. claudit), *et toto mentitos increpat ore* (cf. Hom. 342), *prosiluere viri* (Hom. 713). in libro III: *protinus ense* (Hom. 500 v. claudit), *ad sociosque ferunt manibus post terga ligatis* (cf. Hom. 540), *totis viribus instant* (Hom. 768), *transverberat ense* (Hom. 669, cf. 428), *toto conamine flectunt* (cf. Hom. 462), *tendunt ad sidera palmas* (cf. Hom. 1027). in libro IV: *quid faceret vel cuius opem pugnando rogaret* (cf. Hom. 970), *corruit et pariter fundit cum sanguine vitam* (cf. Hom. 515), *saxa volant* (Hom. 767), *penetrant ad sidera voces* (cf. Hom. 142, 593), *defuncta cadavera calcans* (cf. Hom. 402). in libro V: *resonat clamoribus aether* (Hom. 475, 771), *casu commotus amici* (Hom. 372),[3]) *prosternit*

---

[1]) Eorum quos tractavit Stiglmayr l. l. p. 50 sqq., nemo pro certo Iliadis imitator iudicari potest. [2]) Patrolog. ed. Migne Tom. 163 p. 513 sqq. [3]) Hic locus docet auctorem carminis de bello Maioricano in manibus

cuspide vasta (cf. Hom. 427), *atque viri scapulas ictu penetravit eodem* (cf. Hom. 613), *letali vulnere sternit* (cf. Hom. 672), *saucius ipse tamen graviter certamine cedit* (cf. Hom. 526), *mittit in hunc iaculum magno conamine* (cf. Hom. 462), *perque viri corpus letalis lancea transit* (cf. Hom. 381), *ferventi concitus ira* (Hom. 747, cf. 659, 754), *speciosis clarus in armis* (cf. Hom. 582), *cui . . . fatis properando sinistris occurrit* (cf. Hom. 667), *occidit et moriens praemordet dentibus herbam* (cf. Hom. 370), *cum pube suorum* (Hom. 839), *totis viribus instant* (Hom. 768). in libro VI: *tectus septemplice tergo* (cf. Hom. 293, 612), *ipsum Paeoniis curarunt protinus herbis* (cf. Hom. 350), *sed requies est nulla viris* (cf. Hom. 358). in libro VII: *prosternit cuspide vasta* (cf. Hom. 427), *superatos increpat hostes* (cf. Hom. 342).

Index grammaticus.

(Continet notabiliora omnia)

I de formis.

declinatio:

gen. plur. in *-um: Pelasgum* 10, *Danaum* 19, 50, 67, 153, 251, 268, 357, 389, 496, 631, 686, 691, 698, 705, 743, 747, *Graium* 46, 191, 305, 487, 581, 658, 1048, *divum* 52, 114, 124, 722, 922, *Locrum* 189, *Achivum* 506, 657. cf. *Graiorum* 362, 484, 493, 578, *Danaorum* 12. gen. sing. in *-os: Oileos* (*-us* codd.) 216 (cf. Housman ad Manil. I 350. Thes. s. v. *Aiax*), *Cygneidos* 337 (*-us* PWF), *Nereidos* 873 (sic P, *-as* WELR). contra traditum est gen. in *-is: Chryseidis* 69 (-os B), *Nestoris* 144, 737, *Agapenoris* 175, *Hectoris* 232, 565, 674, 1006, *Lycaonis* 238, *Palladis* 333, 548, *Agamemnonis* 353, Daretis 403. nota *Jovis* (nom.) 651, *Boeotes* (sic codd.) 169. metro probantur: nom. sing. in *-ē*: *Hecabe* 551, 1017,

---

habuisse exemplar alterius classis (*concussus* P, *commotus* cet.). cf. et locum infra allatum *cum pube suorum* secundum alteram classem pro *cum plebe s.* (PW).

Andromache 565, 1018, 1058, *Helene* 638, *Calliope* 1064. cf. voc. *Atride* 124. acc. sing. in *-en: Atriden* 74. in *-an: Aenean* 509 (*-am* codd.). acc. sing. in *-on: Polyidon* 445, *Antiphon* 748, traditur praeterea *Leucon* 369. at metro vindicatur forma Latina in *-um: Menelaum* 254, *Idaeum* 643, *Amphimachum* 775. nom. neutr. in *-on: Ilion* 153, 1056.
acc. sing. in *-ă: Chryseida* 24, 56, 64, *Titana* 118, *paeana* 880, *Democoonta* 373, *Phegea* 405, *Hypsenora* 434, *Hypirona* 443, *Abanta* 445, *Echemmona* 447, *Crethona* 517, *Astyanacta* 566, 1059, *Hectora* 603, *Gorgythiona* 672, *Iphidamanta* 750, *Prothoenora* 786, *Sarpedona* 811, *Nerea* 863, 871, *Protea* 872, *Dorida* 873. contra *-em* metro certum: *Aiacem* 368, 628, *Acamantem* 538. nota et dat. *Paridī* 311, 318. nom. plur. in *-ĕs: Phryges* 493, 682, 762, 803, 1015. forma Latina *-ēs*: *Troes* 790. acc. plur. in *-ăs*: *Phrygas* 342, 670 (utroque loco *-es* codd.), *Thracas* 734 (*-es* codd.), *Troas* 807. nota: *Trosin* 1008 (*tyrsin* codd.; coniecit Vollmer).

coniugatio:

syncope perfecti: *quierunt* 30 (cf. 849), *violarit* 91, *fugarit* 118, *nostis* 161, *pulsarunt, sulcarunt, ornarunt, complerunt* 167—220 passim, *fulgarat* 635, *pugnarunt* 922; sed *decoraverat* 230, *caelaverat* 862. perf. in *-ere: confremuere* 62, *caruere* 142, *duxere* 203, *egere* 169, *venere* 221, 636, *potuere* 524, *genuere* 621, *struxere* 647, *prosiluere* 713, *cognovere* 728, *lavere* 783, *tenuere* 933. cf. in *-ērunt:* 305, 963, 1061. in *-ĕrunt:* 648, 708. fut. in *-ere: laetabere* 285, 850, *moriere* 853 (fut. in *-eris* non invenitur). imperf. in *-ībat: leniba(n)t* 18, 586. *munibat* 229. deponens forma activa: *rimabant* 300 (sic MN, *captabant* cet.), 456, *iaculant* 589; at *rimantur* 591.

II. syntaxis.

membra liberius concordantia:

numero: 178 *Nestor . . . gemina cum prole . . . it* (cf. 840). 218 *sequitur . . . Podalirius atque Machaon . . . et . . . sulcarunt.* 233 sqq. *sequitur . . . Paris . . . Deiphobusque Helenusque . . . fortisque Polites et . . . Aeneas* etc. (cf. 238, 241, 248). 684 *sternunt sua corpora pubes indulgentque mero* (cf. 705 *pubes miserat,*

782 *concurrit Troiana manus*). 789 *cadit Priameia pubes . . . pulsa metu . . . transiliunt* (cf. 837 *pubes . . . exultat.* 906 *pubes confugit.* 1030 *pubes . . . tremit.* 1060 *turba rapit*). 894 sq. *vires praebet . . . cum Pallade Juno dantque animos.* 1023 *nec . . . coniunx turbaque natorum nec . . . gloria . . . tenuit.*

apposita:

ad nomina: 21 *nata . . . causa . . . salutis,* 179 *Schedius . . . et Epistrophus . . ., gloria Myrmidonum, saevi duo robora belli.* 234 *belli causa Paris, patriae funesta ruina.* 253 *Paris exitium . . . funestaque flamma.* 793 *Danaum metus inpiger Hector* (cf. 486, 529, 585, 661). in allocutione: 257 *o dedecus . . . aeternum patriae generisque infamia nostri.* 273 *o patriae germane decus.* 320 *mea flamma Paris.* maxime notabile: 489 *comes . . . turba canum.*

adiectiva ad notionem explendam vel amplificandam cum praedicato iuncta: 20 *miserabilis orat.* 43 *patitur miseranda.* 56 *se . . . perterritus . . . recepit . . . amens.* 286 *se concitat acer in hostem.* 307 *prosternit . . . victor.* 340 *victor . . . huc fertur et illuc.* 374 *vaginaque horridus ensem eripit.* 393 *ferox coruscat.* 413 *celer advolat.* 422 *spectat atrox.* 468 *demens . . . petat.* 479 *pronus ruit.* 481 *iacet exanimis.* 491 *avidus ruit.* 498 *audax se proripit.* 517 *animosus . . . desilit.* 526 *saucius egreditur* (cf. 537 *queritur . . . saucius*). 575 *acies petit acer.* 634 *avidi . . . tradunt sua corpora somno.* 660 *gravis imminet.* 688 *miseri . . . gemunt.* 722 *indubios casus . . . infelix cecidi.* 752 *acrior . . . persequitur traxitque ferox . . . poenas.* 810 *perturbatque ferox acies.* 816 *tollit atrox animos.* 878 *sedet . . . aequus utrisque iudex.* 900 *ut profugus . . . repararet.* 915 *praeceps volvitur.* 999 *victor trahit.* 1023 *iret inermis.* addenda: 621 *quae te terra virum, qui te genuere parentes.* 1030 *te sensit . . . senectus crudelem nimium.*

de numeris: singularis pro plurali: *milite* 128, 173 (186, 214), 183, 742. *militis* 507. *remige* 170. notabile: 389 *plurimus imminet hostis.* pluralis pro singulari: passim; cf. *tela* 40. *pectora* 95, 364, 420. *terga* 259, 604. *corpora* 291, 417. *animos (-mis)* 263, 561, 602. *lyras* 1069. nota: 458 *utrique*

(sc. Aeneas et Diomedes) . . . *steterunt.* 618 *utrosque . . . viros* (sc. Aenean et Hectorem).

de casibus:

genetivus: vice adiectivi positus: 875 *monstra ferarum* (cf. 239 *magnae Glaucus virtutis in armis.* 802 *robustae cuspidis hastas*). post neutr. adi.: 355 *multum . . . cruoris.* post adi.: 301 *memor . . . coniugis.* 379 *avidus praedae.* 502 *sitiens . . . cruoris.* 905 *sanguinis . . . sitiens.* 997 *animi . . . satiatus.* notabile: 982 *dux . . . ducum.*

dativus: post verbum: 19 *genibus affusus* (cf. 87, 1027). 66 *inpositam puppi.* 69 *Atridae excidit ardor.* 228 *cui . . . cassis . . . tegebat caput.* 309 *subiecta . . . mento . . . vincula.* 347 *lateri . . . telum incidit.* 387 *virtus crescit Achivis.* 451 *naris fronti coniungitur.* 556 *temptanti . . . exclamat.* 642 *aut animum praedae aut dictis accomodat aures.* 658 *clades . . . praeponderat armis* (i. ponderat ante bella). 742 *instaurant animos pugnae.* 754 *pugnae subit.* 901 *genus . . . submitteret astris.* 956 *haeret pede pes et dextera dextrae.* 1007 *cineri . . . indicit honores.* 1032 *afflicti genibus.* dativus derectionis: 554 *roganti . . . hastam mittere temptabat.* dativus ethicus: 100 *ut mihi . . . fundere Achivos . . . velis.* cum passivo: 261 *cognita nobis . . . virtus.* 614 *exceptum Grais.* 1014 *turbis comitatus Achilles.*

accusativus: de relatione: 13 *tempora vitta implicitus.* 369 *transfixit . . . inguina Leucon.* 478 *alius . . . traiectus tempora* (sic. gest. Ber., *pectora* codd.) *telo.* 1068 *lauro redimita capillos.* obiecti: 14 *flevit solacia.* 70 *amissos . . . luget . . . amores.* 393 *ensem hastamque coruscat.* 688 *sua fata gemunt.* 703 *loca . . . paventes.* 762 *inrumpunt aditus.* 768 *ascendunt . . . aditus.* 817 *hunc increpat.* 855 *arma Thetin . . . rogat.* 1029 *te . . . tremit.*

notanda: accus. obi. alternat cum infinitivo vel coniunctivo: 390 *cedentia vidit agmina . . . tumidumque increscere Martem.* 865 sqq. *caelaverat . . . quatuor . . . mundi partes, quantum arctos ab austro . . . distaret . . ., Lucifer unde . . . exoreretur . . . et quantum . . . mearet luna.* cf. v. 152 *in decimo labor est,*

Calchas quem dixerat anno, quo caderet . . . Ilion. maxime notabile: v. 554 *nomenque genusque roganti qui sit et unde ferat* (*nomenque genusque* ἀπὸ κοινοῦ pendet a *qui sit* ut acc. relationis et a *ferat* ut acc. obi.).

ablativus: 25 *ossibus imis haeret amor.* 34 *posuisse altaribus ignes.* 148 *serpens consumpsit volucrum . . . arbore fetus.* 407 *solo ferrum stetit.* 429 *adversa parte ruentem* (cf. 436, 880). 502 *adtollit cervice iubas.* 513 *iaculum . . . stomacho . . . infigitur alto.* 646 *confusa* (codd. *confusi* praeter E) *caede suorum . . . struxere pyras.* 654 *consedit montibus.* 828 *quod* (sc. telum) . . . *tellure resedit.* 956 *haeret pede pes et dextera dextrae.* 975 *corde premit gemitus.* 1053 *rogo natorum funera* (i. cadavera) *cernunt.* 126 *se emerserit undis.* 158 *caput extulit undis.* 171 *Mycenaeis Agamemnon moenibus ortus* (cf. 200). 227 *portis . . . agit agmen apertis* (cf. 575). 374 *vagina . . . ensem eripit.* 461 *tellure moverent.* 140 *correptum dictis* (i. in dicendo). 263 *nihil adiuvat armis*[1]) *nobilitas formae.* 296 *pede plantam coniungit.* cum passivo: 688 *Nestore pulsi* (*hoste repulsi* codd.). 1020 *ruit hoc* (*fuit hoc* PWV, *ruit et* F, *cecidit* cet.) *defensa senectus* (sc. Hectore).

de temporibus: tempora saepissime confunduntur: praesens legitur inter perfecta vel pro perfecto: 129, 211, 215, 257 *postquam . . . videt,* 286 sqq. vicissim perfecta et praesentia, 642. notandum: sensus conandi praesenti inest: 918 *flumina rumpit.* 953 *hostem nequiquam repellit.* 965 *evitant . . . enses.* perfectum legitur inter praesentia: 277 *dicta refert Hector, placuit sententia Grais; accitur Priamus* etc., 296, 314, 570, 612, 654, 753, 842, 947. imperfectum legitur inter praesentia: 7 *postquam nulla dies animum . . . levabat, . . . castra petit,* 48, 379 *dum . . . parabat, . . . hasta venit . . . et . . . transit* (cf. 704 *dum . . . carpebant, venit*), 738 *postquam . . . castra tenebant, . . . referunt.* perf. et imperf.: 353 *armavit ira . . ., et dolor . . . agebat.* plusquamperfectum refertur ad praesentia: 152 *in decimo labor est, Calchas quem dixerat anno.*

---

[1]) Acuitur *armis* antecedenti *hic.*

588 *ubi . . . processerat Aiax, . . . iaculant.* 650 *ut . . . Titan . . . patefecerat orbem, convocat . . . Jovis.* 776 *occumbit . . . quem fuderat.* plusquamperf. legitur iuxta imperf.: 230 *dextram decoraverat hasta ornabatque . . . mucro, simul . . . crura tegunt ocreae.* nota: v. 458 *postquam utrique . . . steterant nec . . . Tydides . . . videbat.*

consecutio temporum liberius adhibetur: 701 *delegit Ulixem qui . . . scrutetur.* nota perihodum condicionalem: 311 *quodni . . . texisset Cytherea virum . . ., ultimus . . . dies Paridi foret.*

de modis:

indicativus: 942 *poterant.* indic. in interrogatione secundaria: 164 *dicamus, quot quisque rates . . . duxit.* indic. post *quamvis*: 306 *quamvis manus ense carebat.*

coniunctivus: potentialis: 92 *occiderit.* 267 *aequius . . . concurrat.* dubitativus: 970 *quid agat, quae numina . . . invocet.* irrealis: 461 *bis seni quod vix invenes . . . moverent* (sic P *movebant* cet.). 734 *equos rapiunt, quos nec praecederet Eurus, nec posset . . . superare sagitta.* hortativus: 55 sq. *placemus . . . reddamusque.* 164 sqq. *dicamus . . . et . . . peragamus opus, sitque auctor Apollo aspiretque . . . operi.* 268 *spectet.* 627 *absistamus.* optativus: 37 *sim.* 284 *mihi sint certamina.* 985 *moveat.* pendet a verbis vel phrasibus: 85 *monet . . . abstineat.* 119 *haec illi mandata refer, . . . cogat . . . viros . . .* et *occupet hostem.* 821 *licet . . . Mavors te protegat.* 1030 *sis mitissimus oro.* coni. post *dum:* 344 *dum . . . proceres certamen haberent, concilium . . . habuit regnator Olympi.* 710 *abdiderunt . . . sua corpora . . ., dum . . . Eumedides . . . praecederet illos.*

imperativus: noto: 114 *vade age.* 818 *age . . . converte.* 1069 *ades.*

infinitivus: infin. praes. pro gerundivo: *reddique . . . Chryseida censent.* inf. historicus: 799 *obsistere.* inf. liberius pendet a verbis vel phrasibus: 52 *causas hortatur . . . edere Thestoriden.* 139 *patrius hortatur ad oras vertere iter.* 379 *spoliare parabat* (cf. 553, 623). 558 *quae te . . . mens agit . . .*

mecum concurrere. exemplum usus liberioris acc. c. inf.: 547 *divae placari numina suadet.* notabile: 156 *arma parari dux iubet atque animos aptare . . . pugnae.*

participia: part. fut. quasi praes.: 974 *pugnat moriturus.* abl. gerundi: 1009 *luctando vincitur Aiax.* gerund. quasi partic. praes.: 927 *non . . . fatigant pectora bellando.* nota: v. 626 *ut recordans* i. ut qui recordetur.

de verborum generibus: de deponentibus: partic. vi passiva usurpantur: 108 *emenso . . . Olympo.* 864 *dimensa tempora.* 1014 *comitatus Achilles.* passivum verb. intr.: 576 *postquam in certamina ventum est.* verba intrans. vi trans. praedita: v. p. 50 sub lemmate *accus. obi.* verba transit. vi intrans. praedita: 222 *citae appulerant classes.* 926 *fatigant pectora.*

de usu substantivorum: abstracta quae dicuntur pro hominibus: 36 *desertae . . . senectae* i. deserto seni. 63 *invitos amores* i. invitam amatam (cf. 70 *amissos amores,* 318 *suos amores*). 72 *solaturque suos alienis ignibus* (i. aliena amata) *ignes.* 172 *Graecia* i. Graeci (cf. 983). 250 *Troia* i. Troes (cf. 645, 719, 727). *proles, pubes, inventus,* passim. 333 *o meus ardor* i. amata. 692 *redditus ignis* i. redd. amata. 902 *origo* i. auctor. 1038 *funus . . . meum* i. cadaver fili (cf. 1053 *natorum funera*).

de adiectivis: adiectiva per figuram pro genetivo substantivorum: in his maxime in usu sunt: *patrius, paternus, maternus* pro *patris, patriae, matris,* ut: 18, 66, 97, 192, 350, 574, 568, 580, 933, *fraternus* 968. saepissime etiam adhibentur adiectiva a nominibus propriis derivata. noto: 27 *Phoebeia templa.* 171 *Mycenaeis . . . moenibus ortus.* 1045 *corpus . . . Hectoreum.* 1010 *Laertius astus* (*astur* PWL *astu* cet.). maxime notabile: 507 *languentia militis arma.*

de pronominibus: personalia: plur. pro sing.: 103 *nobis.* 285 *nostra . . . coniuge.* 334 *nostris . . . armis* (sc. Paridis). 987 *nostro corpore* (sc. Hectoris filio). 1030 *nostra senectus* (sc. Priami). exprimitur pronomen in oppositione

aut cum emphasi: 95 *mecum labor iste manebit, tu solare.* 161 *vos . . . Musae.* 265 *dum iaceas . . ., nos bella geremus.* 269 *spectet . . . populus . . ., vos . . . conferte manus.* 1042 *ducum tu respice casus.* 1070 *tuque fave . . . Phoebe.* demonstrativa: demonstr. loco pron. personalis: 724 *hanc animam* (i. meam). 822 *haec dextera* (i. mea). vis maior demonstrandi efficitur addito *ita* vel *tantus:* 103 *haec ita dona refers.* 1062 *tantus dux ille.* nota: 129 *has repetit, per quas modo venerat auras.* repetitur subiectum per *ipse:* 535, 1069. relativa: enuntiatum relativum praecedit: 511 *iaculum, quantas* (*-tum* codd.) *furor ipse movebat, viribus intorquet.* 808 *qui . . . turbabant . . . fugiunt.* 629 *quo se bellator cinxerat Aiax, accipit . . . balteum.* 824 *ille silet . . ., ut quem mentitur, verus credatur Achilles* (cf. 152 *in decimo labor est, Calchas quem dixerat, anno*). pronomen relat. saepius ab initio sui enuntiati in locum secundum abiit; cf. 2, 152, 315, 460, 587, 721, 819, 867 (cf. et 461, 931.). coniunctivus in enuntiatis relativis: 619 *mittuntur . . . qui dirimant.* 639 *praeda . . . quae mulceat.* 701 *delegit . . . qui . . . scrutetur.* relat. spectat ad totam enuntiati sententiam: 721 *in dubios casus, coram quod cernitis ipsi, infelix cecidi.* complura rel. pendent ab uno nomine: 460 sq. *saxum . . . quod . . . iacebat in agro, bis seni quod vix iuvenes . . . moverent.* saepissime relat. pandit enuntiatum primarium: 65, 123, 134, 139, 191, 205, 228, 244, 256, 271, 283, 319, 341, 350, 405, 438, 464, 522, 566, 614, 674, 707, 737, 780, 814, 832, 860, 894, 899, 914, 920, 932, 935, 959, 1021, 1057. nota has licentiores structuras: 428 *quem . . . sternit et* (sc. cuius) . . . *scapulas transverberat.* 615 *quem levat . . . Apollo integratque animum* (sc. eius) cf. 472. 914 *virum . . . impedit . . . praetardatque gradus.*[1]) cf. et v. 136.

negatio: liberius iuncta cum copula: 872 *addiderat . . . Oceanumque . . . nec eundem Protea semper* (i. et semper non eundem Protea). notandum: 610 *iam nec ferro . . . sed . . . saxi iactu petit.*

---

[1]) Tamen alter accus. etiam ut relationis potest intellegi.

praepositiones:

postpositae: (82), 176, 191, 218, 271, 283, 397, 496, 522, 889, 918, 937, 1051 *(iuxta, contra, circum, inter)*. adduntur nominibus urbium: 137 *venerat ad Troiam*. 147 *visus in Aulide serpens*. 164 *ad Pergama duxit*.

ad usum praepositionum nota haec: praep. c. acc.: ad: 304 *galeae . . . ad oras dissiluit mucro*. 551 *preces . . . ad templa . . . fundit*. 794 *insurgunt . . . ad Achaica bella*. in: 341 *acuens in bella catervas* (cf. 497, 664). 360 *demersus in umbras*. 609 *consurgit in hostem* (cf. 912). 680 *in castra . . . confugiunt*. 764 *scalas in moenia poscunt*. inter: 1057 *inter . . . gemitus . . . provolat*. intra: 929 *intra* (*inter* PWMFV) *muros confugiunt*. per: 166 *per singula*. 336 *per mutua corpora iunctis . . . membris*. 338 *per varios petitur victoria casus*. 412 *animam . . . per ora vomentem*. 437 *per agmina quaerit*. 531 *sternunt . . . corpora per campos*. 598 *spumant per ora*. 731 *fusos per herbam*. 804 *per . . . artus sudor . . . defluit*. praepos. c. abl.: a: 200 *Euboeae a magnis . . . finibus ortus* (*Euboea ac* codd.). 281 *toto procedit ab agmine*. 320 *superatus ab armis*. 350 *doctus ab arte paterna*. 516 *curru . . . ab alto desilit*. 565 *a pectore natum . . . tenet* (sic PW, *ad pectora* cet.). 574 *primis ab annis*. cum: 276 *victorem coniunx cum pace sequatur*. 753 *traxit . . . cum vulnere poenas* (i. quamquam vulnere affectus erat). de: 210 *puppes clara de gente . . . duxit*. 298 *de coniuge bella gerunt*. 329 *fama de virtute viri*. 411 *fundentem de pectore flumen*. 525 *daret de corpore vitam*. 624 *Hesione de matre vides Telamone creatum*. 676 *illum rapiunt de caede sodales*. in: 266 *fundemus in hoste cruorem*. 845 *in pulvere crines deformat*. 1035 *in senis extremis tua dextera saeviat annis* (pro *annos*). sub: 736 *sub tempore* (*-ra* BN) *lucis*. 813 *proelia . . . sub imagine versat Achillis*.

particulae: postpositae: *et, postquam, veluti, dum, nec* (610), *nam* (585, 1054, 1056), *atque* (860). cum praepositionibus iunguntur: *inque* 61, 291, 357, 369, 629, 957, 965, 1062. *perque* 381. *cumque* 1050. maxime notabile: 98 *'tantum'que ait 'optime coniunx'*.

enuntiatorum ordo turbatus est: 151 *tunc 'sic deinde' senex 'moneo'.* 573 *ut meus hic, pro quo tua numina natus adoro, . . . imitetur.* 852 *istis victor in armis, in quibus exultas, . . . moriere.*

ellipsis verbi substantivi (cf. Leo, Sen. I p. 185 sqq.): in enuntiato libero: 30 *ubi depositi gemitus* (cf. 849). 137 *nec lingua protervior ulli* (sic P). 191 *quas iuxta . . . comitator Achilles.* 225 *nec mora* (passim). 627 *sanguis communis utrique.* 696 *alterius* (sc. partis noctis) *tenebrae tarde labentibus astris* (sc. erant). maxime adnotandum: 125 *iussa simul* (i. simulatque iussa sunt). in structura accusativi cum infinitivo: 82 *ne . . . se . . . patiatur inultum.* 138 *bella gerenda negat.* 286 *te . . . raptum regemet* (corr. Vollmer pro *te . . . rapuit regem et*). 342 *pulsos Phrygas increpat ore.* 645 *contemptum . . . se reddit ab hoste.* ellipsis verbi dicendi: 87, 94, 151, 979, 988.

brachylogia quaedam invenitur: 74 *ni sibi reddat . . . munera . . ., letum . . . minatur* (i. letum se daturum esse minatur). 719 *si cur veniam . . . exquiritis . . .: . . . Troia mihi currum promisit . . ., si vestras cepisset opes* (i. currum se daturum esse promisit). nota coartatam elocutionem: 40 *posco* (*posce* codd.) *sacros arcus.* 315 *contorsit . . . hastam in cladem Phrygii.* concinnitas membrorum deest in his: 762 sqq. *inrumpunt aditus Phryges atque . . . sternunt . . . Graios . . ., alii scalas . . . poscunt.* 790 sqq. *Achaica turba . . . vallumque et muros . . . transiliunt, alii fossas volvuntur in ipsas.* cf. 881 sq. *et dextera tympana pulsat, ille . . . chordas percurrit.*

λεξικά:

nomina rariora in *-amen*: 462 *conamen*, 630 *caelamen.* in *-tor:* 123 *levator.* 191 *comitator* (sic PW, *-tur* cet.). 345 *regnator.* 489 *actor* (*auctor* codd.). 527 *commentor* (cf. 579). 537 *genitor* (cf. 107, 980). 777 *ductor.* 887 *vinitor.* 899 *rector.* 911 *tutator.* in *-tus:* 115 *volatus.* 299 *mugitus.* 331 *fletus.* 611 *iactus.* 683 *excubitus.* 1040 *interitus.* 1051 *gemitus* (30, 849). adiectiva in *-alis:* 373 *trabalis.* 672 *letalis.* in *-ilis:* 347 *volatilis.* 1056 *flebilis.* in *-undus:* 349 *tremebundus* (sic MNE, *gemeb.* cet.; cf. Hom. Il. Δ 150). 371 *mori-*

bundus (cf. 376). 403 *furibundus*. in *-ger, -fer:* 8 *sceptriger*. 400 *armiger* (545). 595 *saetiger*. 598 *fumifer*. 617 *ignifer*. 867 *Lucifer*. composita: 31 *fatidicus*. 106 *Ignipotens* (862). 113 *omnipotens* (345). 293 *septemplex* (612). 479 *cornipes* (sic gest. Ber., *quadrup*. codd.). 532 *bellipotens*. 1043 *grandaevus*. verba rariora in *-are:* 658 *praeponderare*, 703 *pernoctare*, 917 *praetardare*.

praeterea in carmine leguntur haec ad proprium poetae sermonis usum notabilia: 126 *se emerserit undis*. 211 *puppes* . . ., *quot viribus ambit Achilles* (cf. Hom. Il. A 37 ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας). 286 *raptum regemet* (sic Vollmer, *rapuit regem et* codd.). 598 *fulgura* (sc. apri) pro Ovidii *fulmina* (sic MN). 651 *Jovis* (nom.). 703 *loca pernoctata* i. in quibus pernoctatur. 712 *post ubi*. 729 *fauces* . . . *detrudunt iuvenis*. 753 *traxit* . . . *poenas*. 904 *ingentem* . . . *modum prosternit* . . . *virorum*. 917 *praetardat* . . . *gradus*.

rhetorica:

abstracta vi attributi praedita per translationem enuntiatorum subiecta sunt: 58 *exarsit violentia regis*. 144 *prudentia Nestoris* . . . *sedavit* . . . *turbam admonuitque duces*. 154 *laudatur Nestoris aetas* (i. Nestor senex). 174 *Menelai* . . . *ardor insequitur* . . . et . . . *Agapenoris ira*. 204 *Ithaci naves sollertia duxit*. 333 *me* . . . *superavit* . . . *Palladis ira*. 353 *armavit* . . . *Agamemnonis ira Pelasgos*. 600 *Priamides* . . . *ardorque Aiacis in armis alterni librant gladios*. 737 *quos Nestoris accipit aetas*. 1010 *cuius decepit vires Laertius astus* (*astur* PWL, *astu* cet.). 1020 *ruit* . . . *senectus* . . . *patris*. 1030 *sensit nostra senectus* (i. sensi senex).

abundantia sermonis: in substantivis et adiectivis amplificandis: 12 *Danaorum corpora*. 52 *numina divum* (similiter *corpora, pectora, numina, animi* passim). 80 *contenta voce minisque*. 84 *armis* . . . *ac congressibus*. 156 *animos aptare et pectora pugnae*. 526 *certamine belli* (cf. 562). 605 *callidus astu*. 632 *caelum tegit nox atra tenebris*. 831 *mentitos vultus simulati* . . . *Achillis*. 1020 *senectus afflicti miseranda*. 1047 *extremaque funera ducit*. 1055 *tollitur* . . . *cum murmure*

clamor. in adverbiis: 225 *nec mora, continuo* (cf. 579). 576 *una deinde Paris.* in verbis: usitatissima praesertim in pugnarum descriptionibus sunt participia *prostratus* et *percussus* iuncta cum verbis *fundere, ruere, sternere, concidere.* cf. 122, 370, 383, 398, 450, 463, 613, 748, 781. ad *sternere* accedit *caede*: 392, 487, 904. nota similem usum vocis *animus*: 466 *non tulit . . . animo.* 602 *animis . . . furens.* 808 *animo . . . fremebant.* 997 *animi . . . satiatus.* cf. usum vocis *ordine*: 132 *ordine pandit.* 161 *ordine nostis.* 726 *ordine . . . expediam.* commemoranda sunt praeterea: 59 *compellat vocibus.* 104 *incusat dictis.* 135 *dictis conlaudat.* 146 *admonuit . . . dictis.* 313 *rursum . . . recurrit.* 319 *tali voce locuta est.* 342 *forti . . . increpat ore.* 376 *resupinus concidit.* 394 *flagrantia . . . ignibus arma.* 401 *conversi dant terga Phryges.* 404 *dum . . . furit . . . videt furibundus* (cf. Hor. carm. I 15, 27). 406 *occupat ante.* 426 *obvius huic . . . occurrit.* 452 sq. *dissipat . . . cerebrum . . . revulsum ossaque confossa spargit . . . ensis.* 473 *iterum . . . ad bella reducit.* 559 *exacuunt fervoribus iras.* 570 *post terga revinctis.* 604 *patebat nuda . . . cervix.* 644 *iterum . . . reversus.* 696 *restabat . . . super.* 708 *abdiderunt occultantes sua corpora furtim.* 736 *iterum . . . redeunt* (cf. 784). 817 *occurrit contra.* 827 *reddit . . . vices et mutua dona.* 940 *super insequitur.* 956 *conlatus . . . haeret pede pes.* 957 *emissam . . . egit hastam.* 959 *quam* (sc. hastam) *praeterlapsam vitavit.* 964 *concurrunt . . . collatis . . . armis.* 1060 *contra . . . resistit.* notanda: 159 *ut primum . . . protinus.* 553 *dum . . . intera.* 571 *ut . . . detexerat . . ., protinus . . . amplectitur.* accumulationes verborum: 144 sq. *sollertis prudentia Nestoris aevo compressam miti sedavit pectore turbam admonuitque duces dictis.* 176 *fidus sollerti pectore Nestor consilioque potens . . . it . . . munitus in arma carinis.* epitheta ornantia multa sunt. addo: 139 *consiliis illustris Ulixes.* 167 *bello Leitus acer.* 189 *Schedius virtute potens.* 184 *fortis in armis Tydides.* 196 *viribus acer Eumelus.* 201 *Dulichius . . . animisque insignis et armis.* 433 *vastis horridus armis Eurypulus.* 446 *notum bello Xanthum.* 483 *Veneris pulcherrima proles* (sc. Aeneas. cf. 236). 527 *fraudis commentor*

Ulixes (cf. 579). 580 *notus gente paterna Meriones.* 582 *claris speciosus in armis Eurypylus.*

variae circumscriptiones atque floscula sermonis (ἀντονομασία, μετωνυμία, μεταφορά cett.): 31 *Fatidici . . . compellat . . . aures.* 49 *noctis sidera nonae transierant.* 57 *portus intrare salutis.* 67 *ad classes . . . sua vela retorsit.* 78 *caecus amor.* 86 *in aurea sidera fertur.* 90 *corpus* (i. filius; cf. 987, 1039). 100 *quae dicor coniunx tua quaeque sororis dulce fero nomen.* 110 *iucunda . . . dona quietis.* 111 *toto fulgebant sidera mundo.* 118 *cum . . . extulerit Titana dies noctemque fugarit.* 122 *corpus inundatum . . . sopore habebat.* 123 *curarum operumque levator* (i. somnus). 127 *fortibus arma iube socios aptare lacertis.* 130 *ignea lampas* (i. sol). 157 *tacitas . . . umbras* (cf. 378). 178 *it in arma* (i. bellum. cf. 207, 267). 217 *Poeante satus tulit arma carinis.* 292 *praedonis Phrygii* (sc. Paridis). 331 *perfudit fletibus* (i. lacrimis) *ora.* 365 *purpuream vomit . . . animam.* 376 *terram moribundo* (*-dus* codd.) *vertice pulsat* (cf. 398 *vesano dente*). 411 *calidum . . . flumen* (i. sanguis). 456 *rimabant inimico corpora ferro* (cf. 495 *infesto Marte.* 561 *infesta tela*). 469 *caelestem . . . manum mortali vulnerat hasta.* 471 *Cytherea . . . sidereae queritur sua vulnera matri* (*sidereo—marti* codd.). 478 *volucri . . . telo.* 485 *terga metit gladio.* 541 *laetos . . . triumphos.* 570 *posito . . . aere* (i. galea). 597 sqq. *spumant . . . per ora vicissim fumiferae nubes, concretaque fulgura et ignes iactantur.* 646 *confusa caede* (i. confusis mortuis). 689 *dextram hortantur Achillis.* 735 *volucri cursu . . . sagitta.* 745 *strident* (sc. bellatores). 950 *transtulit . . . sua numina Pallas.* 973 *nox oculos inimica tegit.* 1017 *saevis . . . arat unguibus ora* (cf. 958). 1035 *in senis extremis tua dextera saeviat annis.* 1064 sqq. imago navigantis de poeta. Juppiter appellatur: 223 *pater Saturnius.* 113 *pater omnipotens.* 572 *pater optimus.* 87 *rex.* 105 *summus rex.* 345 *omnipotens regnator Olympi.* 536 *aethereus rex.* 107 *genitor.* 537 *magnus genitor.* 104 *Tonans* (124). similiter Vulcanus: *Mulciber, Ignipotens.* Neptunus: *magnarum rector aquarum* (899). Apollo: *Fatidicus* (31). cf. et: *Troianus Apollo* (472, 830). nota patronymica haec: *Atrides* (vicies

bis), *Tydides, Oenides, Pelides, Aeacides, Nestorides, Priamides, (Plisthenides), Dardanides, Pelopeius, Priameius, Tydeius, Thetideius, Nereius, (Phoebeius, Martius, Mavortius).* cf. *Cytherea, Calydonius, Delphicus, Tritonia.* saepissime designatio fit ex patre apposito *natus, satus, creatus.*

εἰρωνείαν vide: 36 *haec . . . dona* (sc. raptus filiae). 103 *haec ita dona refers nobis, sic diligor a te.* 265 sq. *dum iaceas in amore tuo, nos bella geremus scilicet et nostrum fundemus in hoste cruorem.*

cum emphasi dicitur: *armis* pro gladiis: 590 *principio iaculant, committunt proelia telis, mox rigidos stringunt enses et fortibus armis decernunt* (cf. 615 *iam rursus ad arma coibant, stringebant iterum gladios*). *armis* pro clipeo: 670 *Aiacis vastis protectus in armis Teucer.* 889 *mediis stabat Mars aureus armis.* nota: 367 *hastam . . . conatus corpore toto torquet.* 462 *saxum . . . magno conamine misit.*

ὑπερβολή: 16 *implevit questibus auras* (cf. 293 *replent mugitibus auras*). 143 *ad sidera clamor tollitur.* 593 *ingens ad sidera clamor tollitur et vastis impletur vocibus aether* (cf. 475 *horrendis . . . sonat clamoribus aether.* 771). 47 sq. *vix . . . rogis superest tellus, vix ignibus aer, deerat ager tumulis.* 359 *telorum . . . volant cunctis e partibus imbres* (cf. 743 *volat undique nubes telorum*). 371 *carpit . . . dentibus herbas.* 384 *sanguine . . . manabant undique campi, manabant amnes passim.* 482 *sanguine manat humus, campi sudore madescunt* (cf. 531, 785). 955 *sudor agit rivos.*

figurae: anaphora: 98 *tantum . . . Doride nata valet, tantum debetur Achilli.* 100 *quae . . . quae.* 865 sqq. *quantum . . . et quantum . . . unde . . . et unde.* 722 *per numina divum, per mare, per Ditis fluctus.* 926 *non . . . non* (cf. 932). 1025 *mirantur Danaum proceres, miratur et ipse Aeacides.* 1020 *ruit omnis . . . causa . . ., ruit et . . . senectus.* anaphora disiectis membrorum partibus: 415 *sed neque vim saevi nec fortia sustinet arma Tydidae.* 919 *et modo disiectos umeris modo pectore vasto propellit fluctus* (cf. 524). cognata lusibus verborum variis: 72 *solaturque suos alienis ignibus ignes* (*ignibus*

i. amata, *ignes* i. amorem). 105 *inque vicem . . . patitur convicia.* 296 sq. *galeam galea terit et pede plantam coniungit stridetque mŭcro mūcrone corusco* (nota et allitterationes). 368 sq. *telum . . . erravit ob hoste inque hostem cecidit.* 556 *hastam mittere temptabat, temptanti . . . heros . . . exclamat.* 602 *teloque furens Telamonius Aiax.* 744 *ferro ferrum sonat* (*ferrum ferro s.* MNB). 809 *fugiunt, fugientibus imminet ille.* 820 *quid . . . possit et quantum . . . possit* (*valeat* MNELR). 993 *quem possem direptum* (sic O, *dira* N, *discerptum* E) . . . *absumere . . ., te vero . . . volucres diripient.* 995 *capient . . . gaudia manes, si capiunt umbrae.* verba cum variatione accentus repetuntur: 384 sq. *sanguine Dardanii manábant undique campi, mánabant amnes passim.* 1040 *Hectoris interitu vicísti Dardana regna vícisti Priamum.* allitteratio: 42 *fige patrem: cur nata luit peccata parentis?* 66 *inpositam puppi patrias.* 373 sq. *telo . . . trabali tempora transadigit.* 420 *quodque potest levibus plaudit sua pectora pennis.* 478 *traiectus tempora* (sic gest. Ber., *pectora* codd.) *telo.* 714 *evadere cursu conantem capiunt ferroque manuque minantur.*

in nominibus propriis: 240 *Amphiusque et Adrastus et Asius.* 743 *Dardanidum Danaumque duces.* 787 *Archilochumque Antenoriden . . . Aiax.* 789 *Promachum . . . sternit Penelei dextra; inte cadit Priameia pubes.* 987 *pectora pro Priamo pro nostro corpore Pyrrhus.*

asyndeton passim: noto: 135, 138, 510, 589, 616, 627, 685, 950. polysyndeton: *que—que* sive *que—et* passim: 89 *meque meumque corpus.* 235 sqq. *Deiphobusque Helenusque simul fortisque Polites et . . . Aeneas . . . Archilochusque Acamasque* (cf. 238 sqq., 241 sqq.). 1049 sqq. *quo . . . corpora Graium quadrupedesque adduntur equi currusque tubaeque cumque . . . galeis clipeique Argivaque tela.* asyndeton in oppositione: 542 *incumbunt Danai, cedit Troiana iuventus.* 838 *Priameia pubes laetitia exultat, Danai sua funera maerent.* 1012 *laetantur Danai, plangunt sua vulnera Troes.* cum chiasmo: 444 *comminus hunc gladio, iaculo ferit eminus illum.* 588 *funduntur Teucri, Danai laetantur ovantes.* praeterea efficaciter opponuntur: 566 sqq. *maximus heros oscula parva*

petit. 867 *unus uterque.* 931 *unus tota.* 967 *stantem . . . defectus* (*defectis* codd.) *viribus.* 1020 *ruit omnis in uno.* interdum ad animandam descriptionem notionis distributio fit: 340 *huc fertur et illuc.* 393 *huc illuc ensem . . . coruscat.* 355 *hinc illinc* (sic gest. Ber., *utrimque* cet.). 444 *hunc—illum.* 529 *hinc—illinc—utrimque.* 802 *hinc iaciunt . . . illinc undique iactant.* 773 *istinc et illinc.* 940 *hic—ille—ambo.* 952 *hic—ille—alternis.*

ordo ἀπὸ κοινοῦ: 10 *Pelasgum infestus regi pestem in praecordia misit.* 277 *dicta refert Hector placuit sententia Grais.* 227 *corpus collectum* (sc. in arma) *tegitur fulgentibus armis.* 336 *amplexus . . . incubuit membris.* 554 *nomenque genusque . . . qui sit et unde ferat.* 597 *pectoribusque petunt vastis modo dentibus uncis fortia terga premunt.* 810 *perturbat . . . acies vastumque per agmen sternit.* 896 *vidit . . . heros occurritque viro.* 934 *quin obvius iret et contra magnum contendere vellet Achillem* (et *vellet* et *Achillem* ἀπὸ κ.). 940 *in somnis veluti . . . hic . . . insequitur, fugere ille videtur festinantque ambo.* chiasmi exemplum: 296 *galeam galea terit et pede plantam coniungit.* prolepsis: 36 *haec desertae redduntur dona senectae* (*haec dona* i. ut deseratur). 336 *amplexus per mutua corpora iunctis incubuit membris Cygneidos* (i. incubuit membris, ut amplexu per mutua corpora iungerentur). 417 *discerpta* (*decerpta* plurimi codd.) . . . *corpora . . . laniare.* 650 *nitidum Titan . . . patefecerat orbem.* 846 *scindit fissas* (*fissas* Vollmer, *firmas* codd.) *de pectore vestes.* 919 *disiectos* (sic NL (E), *deiect.* cet.) . . . *propellit fluctus.* 1053 *laniata . . . pectora plangunt.* oxymoron: 116 *premitur . . . pondere dulci.* 131 *adtonitus visis* (sic EMN, *iussis* cet.). apostrophe: 347 *te, Menelae, petens.* 449 *tu quoque . . . Pandare . . . occidis.*

musas adloquitur poeta: 1 sqq., 161 sqq. interrogationes ad orationes ornandas saepius inseruntur ut: 39, 161, 320, 327 sqq., 557. ut pergatur, interrogatio fit: 9 (secundum Homerum), 970. exclamatio: 1019 *heu tanto spoliata viro.* ad animandum sermonem adduntur voculae *en* 36, 88, 980; *ecce* 41, 403, 704; *o* 273, 333, 572, 1029. transitiones usitatiores: *tum, hic (hinc)* passim; *hic tum* 136, *interea*

109, 130, 281, 339, 483, 564, 646, 659, 793, 839, 1004. recurrunt praeterea saepissime: *simul* 107, 155, 206, 231, 248, 405, 477, 535, 538, 581, 654, 749; *undique* 46, 358, 384, 474, 677, 743, 744, 755, 759, 803. parentheta: 161 *quid enim non ordine nostis.* 324 *me miseram.* 489 *non actor gregis ipse comes, non horrida terret turba canum.* gradatio: 46 sq. *vix . . . rogis superest tellus, vix ignibus aer, deerat ager tumulis.* 133 sq. *promittunt . . . vires hortanturque ducem.* 819 sq. *nosces . . . quid Troica dextera possit et quantum bello possit fortissimus Hector.* praemunitio: 718 *at si cur veniam . . . exquiritis . . .: Troia . . . promisit.* anacoluthon: 396 sqq. *ille— . . . veluti . . . leanea . . . ruit . . ., sic ruit . . . heros.* maxime notabile: 137 *quo non deformior alter venerat ad Troiam, nec lingua protervior ulli* (sic P, *pr. alter* cet.).

proverbialiter dicta: 264 *duro Mars militè gaudet.* 494 *geminat victoria vires.* cf. 765 *auget* (sic PW, *praebet* cet.) *victoria vires.* 927 *vires successus adauget.* addenda: versus bis apparent in carmine aut iidem aut leviter variati: 30 (= 849), 305 (= 963), 471 (cf. 536), 978 (cf. 1002); cf. 61, 105, 537. verba in vss. inter se proximis repetuntur: 107 sq., 170—220 passim, 403 sq., 545—547, 1005.

nonnulla memorabilia rei metricae:

de synaloepha: vocales breves et syllabae in m desinentia passim eliduntur; nota has clausulas: 63 *dimittere amores.* 101 *fundere Achivos.* 113 *atque ita fatur.* 151 *remoneboque Achivi.* 598 *fulgura et ignes.* 641 *mandata neque ille.* 818 *fortissime Achilles* (1028). 1037 *concedere honores* (sic codd.). 1058 *inmittere in ignes.* vocales longae hauriuntur: 10 *Latonae et.* 124 *vigila et.* 141 *vero ardescit* (306, 441). 200 *Euboea a* (*ae, ac* codd.). 222 *citae appulerant.* 262 *vario in.* 522 *contra infelix.* 556 *temptanti Aetolius.* 587 *ergo ubi.* 595 *saetigeri exacuunt.* 642 *praedae aut.* 643 *ultro etiam* 667 *illi occurrit.* 733 *praeda umeros,* ibid. *multo et.* 780 *saxo ingenti.* 800 *prima in.* 826 *celeri excipit.* 828 *clipeo excussum* 838 *laetitia exultat.* 947 *subito ante.* 962 *duro inflectitur.* 974 *defesso auxilium.* 1015 *miseri amissum.* monosyllaba:

38 *qua ut.* 76 *se ense* (clausula). 126 *se emerserit.* 295 *tum adversus.* 869 *iam* (*in* codd.) *orbe.* duae vocales ante vocalem: 200 *Euboeae a.* 255 *Menelaum ex.* 262 *vario in.* 345 *concilium omnipotens.* 472 *Dardanium Aeneam.* 503 *mediam erecto.* 514 *media inter.* 643 *Idaeum excedere.* 828 *clipeo excussum.* 838 *laetitia exultat.* 885 *gravia arva.* 969 *auxilia et.* hiatus: 628 *Aiacem aurato* (*deaurato* V) *munerat ense.* 841 *Pelidae* (sic codd. praeter PW *Pelidis et* E[1] *Pelides* praebentes) *aures diverberat horror.* synizesis: 48 *deerat.* 151 *deinde* (290, 457, 576). 228 *cui* (894). 317 *dehinc.* 426 *huic* (799, 947). 630 *balteum.* 774 *Idomenei.* addo et haec: 182 *Leonteus.* 195 *Nireus.* 206 *Guneus.* 208 *Idomeneus* (429, 580). 210 *Menestheus.* 405 *Phegeus.* 777 *Rhythieus.* 986 *Peleus.* cf. tamen: 167 *Peneleus.* 789 *Penelei.* producitur brevis syllaba: vocalis finalis in arsi ante vocabula a duabus consonis incipientia: 168 *Prothoenorque Cloniusque.* 453 *confossa* (-*ssi* B) *spargit.* 582 *Aiacesque duo claris.* syllaba clausa producitur in arsi atque caesura: 257 *videt o* (*quo* coniecit Vollmer). 966 *valet ultra.* corripitur *o* finalis: 40 *posco* (*posce* codd.) *sacros arcus.* 151 *moneo remoneboque Achivi.* corripiuntur vocales longae aliae: 479 *illius ense.* 696 *alterius tenebrae.* 7 *protulerunt* (cf. Ermenrici testimonium p. 6; codd. -*ant*). 648 *tradiderunt* (-*ant* codd.). 708 *abdiderunt* (-*ant* codd.). addenda: monosyllaba in fine hexametri: 103 *a te.* 285 *quae te.* tetrasyllaba: 168 *Cloniusque.* 750 *Iphidamanta.*

Index.

De vita mea.

Natus sum Henricus Carolus Remme Clementis filius in Guestfaliae provinciae oppidulo Bevergern anno MDCCCLXXXI. Patrem non minus quam matrem Clementinam e gente Allering ortam viribus adhuc integris uti gaudeo. Litterarum rudimentis imbutus in gymnasium Paulinum Monasteriense receptus sum anno MDCCCXCVII. Vere anni MDCCCCII Monasterii studiis philologicis me dedi atque seminarii philologorum per tria semenstria fui sodalis extraordinarius, per duo ordinarius. Inde ad studia continuanda Monacum profectus, cum per duo semestria exercitationibus seminarii philologici interfuissem, egregia Vollmeri erga me benevolentia factum est, ut in numerum reciperer virorum, qui Thesaurum linguae Latinae componunt. Docuerunt me viri doctissimi: Adickes, Busse, Crusius, Furtwängler, Hosius, Jostes, Kappes, Lehmann, Lipps, Meister, v. Müller, Niehues, Schwering, Sonnenburg, Spannagel, Spicker, Stahl, Storck, Streitberg, Vollmer. Quibus viris quantum debeam, Sonnenburgio et Vollmero inprimis, pio et grato animo semper memorem me praestabo.